E[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] Dray.

MILES RHETORICUS ET POËTICUS

SIVE

ARTIS RHETORICÆ, ET POËTICÆ.

COMPENDIUM

P. ANTONII FORTI SOC. JESU

Jam brevi pluries in Germania, & Belgio excusum, nunc

IHS

FLORENTIÆ. M.D.CC.XI.

Sumptibus Petri Aloysii Charlier.
Typis Regiæ Celsitudinis. Apud Jacobum Guiduccis, & Sanctes Franchi.
Superiorum permissu.

AMICO LECTORI.

BIBLIOPOLA.

IAM quatuor ferè decurrere luſtra, cũ primum Miles hic Rhetoricus, ſive Artis Rhetoricæ ſimul, & Poëticæ Compendium, per me fuit hîc Florentiæ recuſum. Tunc enim a non paucis Eloquentiæ Magiſtris, Candida-

tis que didiceram, me literariæ Reipublicæ gratum facturum, ſi redderem illud obvium. Cum jam autem divendita ſint quotquot exemplaria commiſſa prælo fuerunt, iterum recudendum curavi, ne Bonarum Artium ſtudioſis deeſſem. Hoc ergo Tibi ſecundò libenti animo exhibeo, quod Te non ingrato excepturum confido. Vale.

MILES. RHETORICUS, SEU ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM.

PARS PRIOR.

ARTEM, quam hactenus alii tradidêre, tumultuario quodam labore parvam congessi in epitomen brevi, clarâ, ac facili methodo Tyronum captui accommodavi; ut hujúsce unius Anni circulo, sanè nimis angusto, integra notitia tradi possit, quâ si vos non perfectos Rhetores, & Oratores efficiam (quis enim id audeat?) ad tutum saltem manuducam iter, quo quisque deinde privato studio, sese exercendo, valeat progressu temporis ad Eloquentiæ fastigium evolare.

2. Quoniam verò Rhetorica, tota quanta est, eò collimat, ut Animum, principem hominis partem, expugnet, déque triumphatis affectibus tandem aliquando palmam reportet: teste enim Tullio de Orat. in Oratoris instrumento omnis omnium doctrinarum supellex, omne argumentationis telum, omnis permovendæ voluntati machina; operæ pretium facturum arbitror, Adolescentes optimi, si more bellico vos, utpotè novellos Palladis Milites, instruam ad Eloquentiæ arma aptè, ornatèque pertractanda.

3. Faveat primis nostris sudoribus MARIA vera Pallas, & contra vitiorum, atque inscitiæ greges, impetúsque, ægidem, hastámque præbeat suam: Rhetorica enim nostra non alia militiæ stipendia efflagitat, quàm Virginis patrocinium: studiorum labore fessa non alibi captare quietem exoptat, quàm ad ejus vestigia, sub ejus umbra; nec aliam victoriæ, triumphíque palmam, quàm illius favorem, quæ Palma est exaltata in Cades.

RHETORICI MILITIS.

Præ-Exercitamenta.

NE severiores bellandi leges, apertúsque Campus Eloquentiæ, vos tyrunculos adhuc, & literariam arenam nondum expertos, deterreant; proludendum in primis, ínque Progymnasmatis, id est Præexercitamentis, sub Aphthonio duce, ac magistro paululum immorandum.

PRO-

PROGYMNASMA I.
FABULA.

1. PRincipem locum jure sibi vendicat Fabula; ut enim in primis Militem stratagemata, sic juvant & Rhetorem Fabulæ, quibus Orator, veluti mentito veritatis vexillo, veritatem effingens, per dolum, dulcem tamen, & amabilem, rem, quam suadere contendit, in audientium animos insinuat.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Fabula, quotque ejus Nomina.

2. DICO 1. Fabula, quæ à Poëtis primum inventa, de in transiit ad Oratores, definitur: Est sermo falsus veritatem effingens: ficta nimirum narratio, sub cujus fabuloso cortice nucleus veritaris occluditur.

3. DICO 2. Quadruplex nomen sortitur Fabula: Æsopica modò dicitur, ab Æsopo Phrygio, fabularum scriptore apprimè ingenioso, cujus fabellas utiles non minùs, quàm festivas, & delectabiles præ manibus vos habere velim, saltem cum scholastico soluti penso feriamini; ne vobis quadrare possit adagium illud: Ne Æsopum quidem trivisti.

Modò Cypria dicitur Fabula, à Cypro Insula, ubi magnus erat Fabularum usus, nam accolarum ori, communi omnium plausu, insidebant.

Modò Sybaritica nuncupatur à Sybaritis magnæ Greçiæ populis, utporè cætera inter deliciarum genera ad infamiam usquè fabularum etiam architectis.

Cilix tandem appellari Fabula consuevit, quòd Cilices populi mendaciis assueti, adagio locum dederint; Cilix haud facilè verum dicit. Hæc ex P. Pomey.

INSTRUCTIO II.

Quotuplex sit Fabula.

4. DICO 1. Triplex est Fabula, Rationalis, Moralis, & Mixta.

5. 2. Rationalis est Fabula, cùm fingimus personam ratione præditam, Hominem V. G. aliquid dicentem, vel facientem.

Exemplum.

6. Ovum aureum Gallina semel peperit. Quidam avarus deceptus animo, eam occidit, ut aurum acciperet: sed spes perdidit majus Fortunæ donum.

Affabulatio.

In eos, qui spe lucri in damnum incidunt.

7. DICO 2. Moralis Fabula, à moribus dicitur, cùm scilicet rerum ratione carentium mores fingimus, ac naturam belluarum exprimimus mores informandos.

Exemplum.

8. Lupus, gutturi osse infixo, mercedem Grui se præbiturum dixit, si, capite injecto, os ex gutture sibi extraxisset: hæc autem, eo extracto, quippè quæ procero esset collo, mercedem efflagitabat. Lupus subridendo, dentésque exacuendo sufficiat tibi, ait, illa sola merces, quòd ex ore Lupi, & dentibus salvum caput, & illæsum exemeris.

Affa-

Affabulatio.

In Viros, qui à periculo servati, benè de se meritis eam gratiam referunt.

9. DICO 3. Mixta Fabula est, quæ cùm Rationalem, tum Moralem complectitur: in qua personas cum rebus mentis expertibus ferentes colloquia in medium producimus, ut homines cum belluis, plantis, arboribus &c.

Exemplum.

10. Leo Virgunculam adamabat: minisque, & pro missis patrem impulit, ut sibi puellam matrimonio jungeret. Pater precibus Leonem fatigavit, ut dentes extraheret, ungues extirparet, ne indè Sponsa terrore afficeretur. Leo dentium, & unguium armis domi depositis, indicto nuptiis die, ut Uxorem duceret, venit. Ubi parens exarmatum vidit, pro Virguncula Virgas dedit, & pro dote fustes.

Affabulatio.

Qui hostibus audientes erunt, iis maximum periculum imminet.

INSTRUCTIO III.

Fabulæ Artificium, & Stylus.

11. DICO 1. Fabula vel breviùs, vel fusiùs tractari potest. Quomodocùnque tractetur, sensum aliquem continere debet cum admonitione ad vitam rectè instituendam: Fabulæ enim finis est docere, ac monere, & quidem delectando. Hæc admonitio, si in principio collocetur, dicitur Præfabulatio, Grecè Προμύθιον, si in fine ponatur, dicitur Affabu-

latio, five Apodofis, Græcè *Ἐπιμύθιον*

12. DICO 2. Fabula, quoties breviùs eft pertexenda, fimplici narratione proferri debet, ut in exemplis allatis.

13. DICO 3. Fabula quoties fufiùs tractanda eft, continet 1. loco Exordii, nomen, & laudes Auctoris, vel ipfius Apologi. 2. Narrationem exponit. 3. Aliquâ comparatione utitur, fi opus eft. 4. Tandem Epilogo clauditur.

14. DICO 4. Duplex effe poteft Fabulæ Stylus, Simplex nimirum, & Floridior: Simplex figurarum concinnitatem, atque ornatum recufat, verbis propriis, felectifque contentus: Floridior figurarum phaleris quandoque gaudet, & calamiftris.

INSTRUCTIO IV.

Fabulæ Virtutes, & Vitia.

15. DICO 1. Fabula, cùm ferè tota fit continuata narratio, quatuor bonæ narrationis dotibus ornata debet effe, videlicet perfpicuitate, brevitate, fuavitate, probabilitate; de quibus agendum fuo loco. Ad fabulæ probabilitatem præcipuè attinet eam indolem, eofque fermones rebus fingulis aptare, quibus illarum natura exprimatur. Sic. Agno V. G. mitia tum verba, tum facta tribuemus, Leoni generofa, ridicula Afino, Vulpi fubdola, Pavoni fuperba, Vulturi crudelia, &c.

16. DICO 2. Maximè delectabit Apologus, fi exitu novo, & inopinato, feftivo tamen, & verofimili coronetur.

17. DI-

17. DICO 3. Cavendum semper, ne dictio supra modum faceta scurrilitatem redoleat.

INSTRUCTIO V.

An usus Fabulæ deceat Oratorem.

19. DICO: usus Fabulæ Oratorem, & gravem personam decet: imò Demosthenes olim, verba faciens apud Athenienses Populi attentionem excitavit, fabellam interserens de umbra Asini: & Menenius Agrippa Apologo membrorum humani corporis in ventris excidium cum ipsorum pernicie conjurantium, Romanam Plebem sedavit. Plato fabulosus est supra modum: & Sancti Patres quamplurimi fabulis usi sunt.

19 Objicies 1. Plato reprehensus est ob fabularum usum à Colote Epicureo: ergo indecens est fabularum usus.

20. Respondeo: illum immeritò reprehensum: Fabulæ enim usus Philosophum dedeceret, quoties illâ abuteretur, merè aures mulcere intendens: decet verò, cùm veritatem docere, moresque informare contendit. Sic reprehensione dignus esset homo, qui cibis abuteretur ad crapulam: nec tamen ideò ciborum usus est absolutè reprehendendus. Legite Macrobium lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 2.

21. Objicies 2. Fabula mendacium est: igitur nunquam decens.

22. Respondeo: Nego antecedens: licet enim Fabulæ auctor falsum sermonem exprimat, fidem tamen ab auditoribus non exposcit, auctoritatem

in dicendo ſuam non interponit, nec rem, quam narrat, verè ita accidiſſe vult perſuadere; quæ omnia ad mendacium conflandum requiruntur.

INSTRUCTIO VI.

An Fabula, & Parabola idem ſint.

23. DICO: illud diſcriminis intereſſe, 1. quòd Pàrabola perſæpè fit nullo figmento intermixto: eſt enim ſimilitudinis genus quo rerum geſtarum fit collatio: 2. quia Fabula neceſſariò continet narrationem rei, & quidem ut jam factæ: Parabola verò in eo duntaxat laborat, ut dicat, E. G. Regnum Cœlorum ſimile eſſe homini quærenti bonas Margaritas, &c. abſque eo, quòd narret Petrum, Paulum, vel alium fuiſſe, qui in quærendis margaritis elaborarit: ut conſtat ex Parabola Chriſti Domini. 3. quod fit quandóque ſtylo præceptivo, non narrativo; ut Luc. 14. Dicebat autem ad invitatos Parabolam: *Cùm invitatus fueris ad Nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo, & veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum &c.*

INSTRUCTIO VII.

Exemplum Parabolæ figmentorum fuco minimè coloratæ.

24. PHalereus deploratus ab amicis vomicę morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoſte. Plin. lib. 7. cap. 1.

Apo

Apodosis.

Ab inimicis sæpe, quam non speramus, utilitatem capimus. Ex P. Caus. Symb.

Parabola Fabulæ intermixta.

25. Musæ victis Sirenibus, ex earundem pinnis alarum evulsis coronam sibi texuerunt. Paus. in Bœot.

Apodosis.

Literæ sacræ ex humanioribus spolia capiunt, & iisdem plerúmque venustantur; nam adolescentes his mansuetioribus literis initiati reliquis studiis vegetum quemdam florem induunt, & pulchritudinem, quam Synesius in Dione Fibulam animæ appellat.

Fabulæ Floridioris, sicut, & Fusioris Exempla, ut brevitati consulam, prætereo. Vos ad Camp. Eloquen. P. Melchioris de la Cerda, & ad Candid. P. Pomey remitto; ibi invenire poteritis.

PROGYMNASMA II.

NARRATIO.

1. QUæ de Narratione præcepta seligam, diligenter sunt adnotanda, mirum enim quàm obvius narrationum usus; cùm compositionum genus sit ferè nullum, in quo narratio suum non obtineat locum.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Narratio, & quotuplex.

2. DICO 1. Narratio est Expositio rei factæ, vel tanquam factæ; dixi, tanquam factę; quia

quia quandoque Narratio ficta omninò est, & fabulosa.

3. DICO 2. Triplex est Narratio, Poëtica, Historica, & Civilis, seu Oratoria.

Poëtica est, quæ fictam expositionem habet, & passim in aliquo vero fundari solet.

Historica est, quæ res verè gestas exponit: sivè vetustæ illæ sint, sivè recentes.

4. Queres, an Narratio Poëtica, & Fabula idem sint?

5 Respondeo: Poëtica Narratio, si est de re omninò fabulosa, est absolutè Fabula: si rem veram quidem, sed ficto modo exponit, absolutè Fabula non est, nisi penès modum rei narrandæ.

6. Scio, Patrem Pomey in suo Candidato illud discriminis assignare inter Poëticam Narrationem, & Fabulam, quod scilicet Poëtica Narratio res explicat, quę, tametsi fictæ, fieri tamen potuerunt. Fabula verò ea memorat, quæ neque facta unquam fuerunt, nequè fieri ullo modo potuerunt. Sed cum bona pace tanti viri.

7. Contra est 1, Quia unde habet, quod Fabula necessariò ea contineat, quæ accidere nullo modo possint,

Contra est 2. Quia Æsopus fabularum magister multas conscripsit, quæ verè contingere potuissent.

Contra est 3. Quia sibimet pugnare videtur Auctor doctissimus, qui tractatu de Fabula cap. 2. Exemplum Fabulæ Rationalis effert, quod verè potuissent accidere.

En Exemplum ab ipso allatum.

8. Medicus ægrotum curabat, quem deinde mor-

mortuum cùm videret efferri ad sepulturam, inquiebat: Si vino hic abstinuisset, in morbo nequaquam obiisset: cui circumstantes, nę tu, respondebant. stultè sapis, qui post mortem morbo pręscribis medicinam.

9. Quæ certè Fabula rem continet, ut patet, quæ verè potuisset accidere.

INSTRUCTIO II.

Narrationis Artificium.

10. DICO: Sex circumstantiæ præbent veluti stamina, quibus Narratio contexatur, quamvis non omnes necessario semper sint adhibendæ. 1. Persona faciens, 2. Res gesta, 3. Tempus, circa quod. 4. Locus, in quo; 5. Modus, quo pacto, 6. Causa, propter quam: quæ omnia trito illo versiculo continentur:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Ad modum reducuntur Auxilia, Media, & Instrumenta.

INSTRUCTIO III.

Narrationum Stylus.

11. DICO 1. Stylus Poëticæ Narrationis, Poetarum more, floridior sit oportet. Tragicæ tamen Narrationes gravitate quadam, & majestate exprimendæ: Comicæ, & Satyricæ lepidè, & ridiculum in modum.

Jam singularia quædam, & plebeja lepôrem, risumque valdè conciliant.

12. DI-

12. DICO 2. Stylus Historicæ Narrationis medius est, sed concinnus.

13. DICO 3. Oratoria Narratio stylum amat nitidum, & apertum, figurarum coloribus animatnm, non tamen Periodis admodum longioribus, & rotundatis.

Reflectat nonnunquam ad Historias, ad Fabulas, & alia huiusmodi. Argutias non respuit in genere deliberativo: in Exornativo, illas amat, & sanè vix alibi in Oratione, quàm in hujusmodi Narrationibus aptior est argutiis locus, ut notat P. Jugl. Gravitas tamen rei agitandæ prohibet argutiarum usum in Narrationibus, ut in genere Judiciali, in quo Narrationes planæ, & sine phaleris incedere debent. In genere exornativo possumus, inter narrandum, nonnihil per Charientismum deprimere, vel per Auxesim erigere. Sed de his Figuris suo loco.

14 DICO 4. In narrationibus, Verbum, Inquit, Ait, Dixit, Retulir, &c. in medio, id est, post aliam vocem, cum gratia collocatur. V. G. ea est, inquit, rerum conditio, &c.

15. DICO 5. Nonnunquam præterita tempore præsenti efferuntur, dum narrantur. V.G. Ex Cic. Postea quam liberatus sum, reperio, Judices.

16 DICO 6. Sæpè Infinitum præsentis temporis modi indicativi depromitur suppresso verbo, unde regi possit V. G. ex Cic. (Cursare iste Homo potens cum Filio blando, & gratioso, paternos amicos appellare omnes, & convenire) subintelligitur videbatur.

17. DI-

17. DICO 7. Sæpè participia, & Verba ejusdem temporis scitè conglobantur. V. G. ex Cic. [Quid non agebar? Quid non moliebatur? Ibat, redibat, circuibat, concursabat, prehensabat blandè obvios, illos amplexibus, alios osculis fatigabat, &c.]

18 DICO 8. Sæpè Nominativus verbo postponitur, majoris Energiæ causa: ut Cicero (Emit homo cupidus, ac divəs.)

INSTRUCTIO IV.

Narrationis Virtutes, & *Vitia*.

19. DICO 1. Quatuor Narrationis Virtutəs, Perspicuitas, Brevitas, Suavitas, Probabilitas.

20 DICO 2. Perspicuitas, seu Claritas facit, ut facilè possint intelligi, quæ narrantur. Perspicua erit Narratio, cùm res exprimitur verbis propriis, & delectis, non ab usu remotis: cùm nihil contortè, aut ambignè, aut novè dicimus; cùm distinguuntur res ipsæ, personæ, tempora, loca, &c.* & quod primum gestum fuerit, primum narratur; quod secundum, secundum; quod tertium, tertiu n, &c.

21. DICO 3. Expedita brevitas requiritur, ut facilè retineri possint, quæ dicuntur. Hæc comparatur, quoties nihil extra rem dicitur, supervacanea reciduntur, nec res ab Ovo usque ad mala evolvitur, nec idem pluriès reperitur. Periculum tamen est, ne quis, dum brevis esse laberat, obscurus fiat.

22. DICO 4. Suavitas, quæ præstat, ut de-

delectet Narratio potiùs, quàm fastidium pariat, comparabitur, si admirationes, expectationes concitatas in Auditoribus, exitus inopinatos motus animi, colloquia personarum, dolores expressos, varióſque effectus contineat, & in verbis sonantibus, & lenibus, jucunditatem, & elegantiam præseferat.

Figuræ autem potius Oratoris, quàm Historici propriæ sunt, cui tamen cum sale aliquam nonnunquam adhibere permitterem.

23. DICO 5. Probabilitas facit, ut Narratio credi possit. Jam Probabilis erit Narratio, si verisimilis: cùm scilicet nihil dicitur Naturæ adversum: cùm loca, tempora, personæ ipsæ convenientes, causæ, rationésque constituuntur; cum auctoritas, & pondus in verbis inest non affectatè comptis, & expolitis.

Et si res abstrusas credendas proponimus, id modestè fiat, aliqua apposita clausula, qua non nobis credi debere dicemus, sed Viris fide dignis, qui viderint, vel scripserint.

24. DICO 6. Vitia his virtutibus opposita Narrationis decorem deturpant. Fugienda igitur inter narrandum Prolixitas, Parentheses crebæ, & longæ, quæ sermonem aliò distrahant, non sine multis ineptiis; Ambiguitas verborum; nimia personarum, rerúmque Multitudo unico impetu objecta, quæ mentis aciem obtundat auditori: Dictio humilis, obscura: impropria: Dissolutio sine ullo decore, nexu, & articulis, eusdem verbi crebra, & inepta Repetitio.

25. DICO 7. Vitium prætereà erit in Narra-

ra-

rationibus, in quibus aliquem affectum doloris V. G. excitare volumus, si aliquid exprimamus, quòd contrarium affectum moveat? unde, si in tali Narratione V. G. Lepidum, aut Ridiculum aliquid occurrerit, prætermittendum. Narrationum exempla passim habetis apud Auctores, quos in quotidianis prælectionibus explanamus. sit tamen.

INSTRUCTIO V.

Narrationum Exempla ex P. Fam. Strada in Prolus.

Cypriæ Puellæ facinus memorandum. Historicè.

26. EXpugnatâ jam Nicosia, Urbe totius Cypri opulentissimâ, & sexaginta hominum millibus frequente, Mustaphus rerum successu ferox urbis reliquias prædabundo militi donat. Desiderati dicuntur in ea cæde veriùs, quam pugna, supra quindecim millia Cypriorum, capti ad viginti millia. Præcisum Danduli Prætoris Insulæ caput Salaminam, muneris loco, mittitur ad Urbis Præfectum. Ex manubiis, atque omni præda Mustapho pretiosa quæque servantur: ille navigia duo, & ingentem Myoparonem spoliis onerat. Inprimis verò egregios formâ pueros, puellásque tota ferè Insulâ conquisitas Myoparoni imponit, tradítque omnia quadringentis prætorianis militibus Selimo Imperatori comportanda: sivè ut essent argumentum victoriæ, sivè ut eo lenimento sibi conciliaret ambigu-

guum Principis auimum. Vehebatur eo Myoparone inter captivas Cypria puella nobilis, quæ ſecum reputans, quid eveniſſet Patriæ, ac ſuis, quid ſibi in Selimi poteſtate eventurum eſſet, magnum quid animo agitare cæpit. Et jam è portu ad duo milliara proceſſerant, cùm milite nitratum pulverem extrahente ad uſum tormentorum, intervenit inibi puella cum lumine. Enimverò nactı patrandi facinoris opportunitatem, ardente in animo flammâ, reſpectans modo Patriam, modò Cœlum, propiùs repentè proſilit, ac deliberata morte ferocior, ingenti ſanè auſu, intra ea receptacula ignem jacit. Enituit illico feralis flamma, magnòque fragore avulſa à ſedibus ſuis tabulata, atquè in àltum excuſſa rapuêre ſimul eâdem vi ſemiuſta hominum corpora: permiſtáque, & conglobata omnia in aquam decidêro miſerabili ſonitu. Cæteri aut colliſi invicem, & conſauciati, aut incenſi, exceptíque undis expiravêre. Nec ſe intra Myoparonem continuit clades: fragmentis hominum, tabularúmque ex alto latè decidentibus corripuit ignis proxima navigia, horæ quę unius ſpatio, quantum erat toto Regno conquiſitum prædæ, hominúmque quatuor exceptis, ex quibus rei ſeries dein cognita, in oculis Inſulæ, Muſtapho ipſo inſpectante, conſumptum eſt. Sic una captivarum ſivè hoſtium odio, ſivê amore pudieitiæ, præſenti certè conſilio & eâdem opera, & barbari Ducis ambitionem fregit, & ſe, ſuós que ſubtraxit ſervituti, atque dedecori.

Idem Oratoriè ex Eodem.

27. Intulerat jam ſeſe in Urbem Othomannicus

eus exercitus, & suoptè ingenio ferox, & victoriæ licentiâ, conceptáque populationis ingenti spe furens ac præceps, cùm ad illatam Christianæ rei cladem omnium maximam, ne quid miseriarum deesset ultrà, Mustaphi Ducis indulgentiâ, subijciuntur civium bona militum prædæ, atque libidini. Diripiebatur Urbs Insulæ caput, in quam Regni opes, atque arma confluxerant: deliciarum sedes, & quondam hospitium gratiarum: voluptuaria, ac beata hominum natio, immani hostium truculentissimorum furore, ac rabie cædebatur. Fluebat per fora, ac vias cadaveribus oppletas interfectorum Sanguis; non ætati, non generi parcebatur &c.

Idem Poëticè ex Eodem.

28. Postquam res Cypri, sedémque evertere Regni.

Odrysiæ pòtuêre acies, cecidítque superba
Nicosia, atque omnis mœret Cythereia tellus;
Mustaphus bello victor truculentiùs ardet,
Attollitque animos, civés que, urbémque remittit.
Militis arbitrio, & prædam poscentibus addit.
Invadunt Urbem, &c.

29. Idem cecinit Italicè Hieron. Preti carmine illo, cujus initium est:

Poiche di Cipro il glorioso Regno,
Spesso vittorioso, al fin fu vinto;
E l' ardor de le fiamme, &c.

PRO-

PROGYMNASMA II.

C H R I A.

1. HOc Præexercitamentum maximè Rhetoribus utile esse, ipsum nomen ostendit: Chria enim græcè Usum, & Necessitatem significat: unde aliqui cum Prisciano Chriam latino vocabulo Usum appellant.

INSTRUCTIO I.

Quid, & Quotuplex sit Chria,

2. DICO 1. Chria est brevis commemoratio nominatæ Personæ factum, vel dictum, vel utrumque aptè referens.

3. DICO 2. Triplex est Chria, Verbalis scilicet, Activa, & Mixta.

4. Verbalis, quam alii Orationalem, alii Logicam appellant, est, quæ in verbis consistit, & utilitatem Oratione demonstrat. E. G. Illud Platonis dictum (Virtutis ramus è labore, sudorèque producitur.)

5. Activa est, quæ Actionem exponit. V. G. Pythagoras interrogatus, quanta esset hominum vita, cùm per breve temporis spatium se conspiciendum exhibuisset, statim deinde se conjecit in latebras, humanæ vitæ conditionem ex momentaneo conspectu designans. Vel, Æsopus jussus optimos cibos apparare ad convivium, linguas intulit comedendas: jussus iterum pessimos cibos afferre, iterum linguis epulum adornavit.

6. Chria

6. Chria tandem Mixta eſt, quæ ex utrâqpe coaleſcit, & factum alicujus orationi conjunctum declarat; v. G. Diogenes, cùm videret Adoleſcentulum indecorè laſcivientem, illius Pædagogum baculo percuſſit, dicens: Cur talia doces? Vel, Titus Imperator, ſi quem diem egiſſet, quo neminem beneficio affeciſſet ingemiſcere ſolebat; dicens: Amici diem perdidi.

INSTRUCTIO II.
Chriæ Artificium.

7. DICO 1. Octo ſunt partes, quibus Chria conſtruitur.

1. Eſt Laus, ſeu Encomium, ſive Vituperatio.
2. Paraphraſis, ſeu Expoſitio.
3. Cauſa.
4. Contrarium.
5. Simile, ſeu Comparatio.
6. Exemplum.
7. Veterum Teſtimonium.
8. Et ultima, Epilogus.

8. DICO 2. Exordium laudes contineat Auctoris, cujus dictum, vel factum, vel utrumque commemorandum aſſumimus: quæ tamen laus talis ſit, ut illâ facto, dictóque pondus accedat. Si verò rem turpem commemoramus, Auctoris vituperia congeramus, quibus ejns Auctoritas labefactetur.

9. DICO 3. Subijcienda Paraphraſis ſeu Expoſitio explicans paulò liberiùs, & dilucidiùs dictum, vel factum, vel utrumque, quod amplificandum ſuſcepimus.

10. DI-

10. DICO 4. Causa reddat rationem dicti, factive, vel utriusque

11. DICO 5. Contrarium doceat, quid mali ex contrario sequatur, aut quid boni, si res ita fiat.

12. Dico 6. Apta similitudo, aut Parabola lucem rebus afferat, confirmêtque.

13 DICO 7. Rem confirmet Exemplum Illustre.

14. DICO 8. Veterum Testimonium ad rem magis corroborandam depromatur.

15. DICO 9. Epilogus tandem superiora capita breviter complectatur, & Chriam claudat. Aliquam adhortationem ad id, quod propositum est, si honestum; Dehortationem, si turpe, Chriæ aliquando finis non respuit.

16. DICO 20. Ut videtis, præcipua Chriæ pars Paraphrasis est, cujus amplificandæ modum facillimum in præsentiarum breviter accipite ex P. Pomey.

Modus amplificandæ Paraphrasis.

17. Amplificari poterit factum, vel dictum aliquod, si 1. perpendatur id, de quo aliquid enunciatur, quod Dialectici Subjectum vocant. 2. Id quod enunciatur, quod iidem Prædicatum, sivè Attributum appellant. Utrumque autem per partes paulò fusiùs, concinnéque evolvendum est. V. G. Volumus amplificare hoc dictum.

Omnia Vincit Amor.

Amor, est Subjectum, cui tribuitur prædicatum illud: Vincit omnia. Expende igitur, qui sit Amor, ejus partes, proprietates, affe-

ctio-

ctiones, causas, effectus, &c. Deinde enuclea, quid sit Vincere. Tandem explica vocem illam, Omnia.

18. Eodem ferè artificio factum illud amplificabis, ex eodem.

Divus Franciscus Xaverius, factis, non verbis concionaturus, Urbem totam obit cum Socio.

En quasi subjectum totius facti (Concionaturus factis, non verbis) En veluti Prædicatum (Urbem totam obit cum Socio) Expende igitur in subjecto facta Divi Xaverii, modestiam scilicet, cæteráque, quæ populos ad bonam frugem reducere possent: expende verborum defectum, silentium explicando per negationem phrasium, pulpiti, actionis, ædium, omnisque apparatus Rhetorici. In prædicato perpende Urbem totam per partes, viros nimirum, fœminas, pueros, artifices, causidicos, nobiles, &c.

Atque ita magnam segetem ad amplificandum invenies, adeò ut periculum sit, ne longius, quàm par est, expositionem protrahas.

INSTRUCTIO III.

Chriæ Stylus, Virtutes, & Vitia.

19. DICO 1. Quamvis recentiores nonnulli Chriam tropis nimiùm elaboratis, figuris, rotundisque Periodis ornatam florere, non permittant modò, sed etiam præcipiant; equidem tamen veterum vestigiis potiùs inhærendum existimo, qui Chrias stylo planè sedato, & ad summum temperato contexuère, quo

rem simpliciter explicarent, confirmarént que, ita tamen, ut utiliter docerent.

20. DICO 2. Argumenta, & motus, quibus fidem facimus, longè alia sint, quàm postulet Oratorium robur, nervíque: illa enim nec frequentiùs conglobata, neque nimis amplificata ponantur. Motus leves sint, & moderati. Et si aliqua figura, tropúsque, Hyperbole præsertim, quandóque è calamo prosiliat, parciùs fiat, & modestiâ temperetur.

21. DICO 3. Si quid contra has leges peccetur, vitium arbitror. Sicut etiam Chriæ vitium erit, sit personæ laudes fictæ tribuantur, vel non convenientes, vel extra intentum auctoritatis in re nostra conciliandæ: itaque Sapiens E. G. est laudandus non à robore virium, non ab oris venustate, non à generis amplitudine, sed à sapientia, &c. Bellator non à canendi, pingendíque peritia, sed à fortitudine, &c.

22. Exemplum Chriæ minimè omittendum arbitror, est enim illa, ut ajebam, Præexercitamentum Tyronibus valdè familiare, ac perutile: non aliunde tamen depromam, quàm ex Aphthonio omnium Magistro.

23. Legite præterea, si placet Chrias Rhetorum Messanensium in libello 1650. Neapoli impresso, apud Secondinum Roncaglioli, quas Majores vestri composuere cùm in hoc Societatis Athenæo Rhetoricæ operam darent; ubi non exiguas vestrę Nobilis Urbis laudes, & decora invenietis. Interim sit.

IN-

INSTRUCTIO IV.

Chrię Verbalis Exemplum ex Aphtonio.

In illud Isocratis dictum: Doctrinę Radicem amaram esse, Fructus verò dulces.

Laus Auctoris.

24. ISocrates in Rhetorica meritò laudandus est, quâ sibi nomen clarissimum comparavit, quantáque esset, se exercendo demonstravit, eámque illustravit, non ipse ab illa illustratus est. Longum ergò esset differere, ut quæcunque regibus cùm admonendo, tum persuadendo singillatim mortalium vitam beneficio affecerit, sed qualia de eruditione verissimè protulit?

Expositio, seu Paraphrasis, & Causa.

25. Qui studia amat, à laboribus initium facit, laboribes tamen in utilitatem desinenribus. Hæc sunt, quæ veré scripta ex sequentibus comprobabimus admiranda esse. Qui enim bonis artibus capiuntur, hi sanè cum professoribus doctrinarum conversantur, ad quos accedere formidolosum, & discedere est indoctissimum; metu, semper pueros occupat, sive præceptorem intueantur, sive ad illum venturi sint, accedunt præceptoribus pædagogi visu terribiles, sed dum verberibus sæviunt, formidolosiores, & priùs, quàm verberent, timentur. Timori punitio succedit, dum errata puerorum castigant, & domestica virtutis opera indicant. Pædagogis patres asperiores sunt, filiorum vias indagando, ad se propriùs accedere imperando, & im-

30. Quæ si rectè considerabimus, Isocratem jure laudabimus, ut qui bellissima de eruditione sapienter conscripserit.

PROGYMNASMA IV.

SENTENTIA.

Quid, & quotuplex sit Sententia

INSTRUCTIO I.

1. DICO 1. Sententia est oratio brevi complexu aliquid, quod ad hortandum, dehortandùmve pertinet, explicans. Sive ut alii definiunt: Est oratio, quæ quid sit, aut qui debeat esse in vita, breviter ostendit. E.G. Illa Afri Domitii:

Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.

2. DICO 2. Sententiæ à Grecis γνῶμαι vocantur, cum quibus congruit Apophthegma, licèt laxiùs sumnntur Sontentiæ: Apophthegma enim est dictum quoddam breve rotundum, & sententiosum, ut ait Budæus, sed præcipuè illustris personæ, ut sunt Pontifices, Cæsares, Reges, Legati, Duces, &c.

INSTRUCTIO II.

Quotuplex sit Sententia, & quale eius Artificium.

1. DICO 1. Sententia, sivè gravis illa sit, & magnifica, sivè festiva, & proverbialis, multiplex est:

4. Primò enim alia Hortatoria, qualis est illa Teognidis Poëtæ:

Pauperiem qui, Cyrne, fugit, se mittat ab alto.
In Mare cetiferum vertice montis, opus.

Vel:

Humanæ Formicam imitans jam consule brumæ.
Bruma Hominis vitæ est ultima, Paule, dies.

5. Secundò alia est Dehortatoria, ut illa ex Homero:

Stertere perpetuam non dignus est Principe noctem.

6. Tertiò alia est Enuncians; ut illa ex Plauto:

Sapiens sibi Fortunam fingit.

Vel:

Non est, crede mihi, multos, qui possidet agros,
Dives, sed Dives, cui satis unus ager.

7. Quartò alia est simplex, ut illa ex Seneca.

Generosos animos labor nutrit.

8. Quintò alia est Composita, seu Conjuncta, ut illa ex Homero:

Multos esse malum Reges: Rex unicus esto.

Vel ex Terentio.

Obsequium Amicos, Veritas Odium parit.

9 Sexto alia est Probabilis, ut trita illla:

Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

10. Septimè alia est Vera, ut illa ex Theocrito:

Ipsa dies quandoque Parens, quandoque Noverca.

11. Octavò tandem alia est Superlativa, seu Hyperbolica, ut illa. In-

Infirmius nihil eſt Homine.

12. DICO 2. Sententia differt â Chria, 1. Quod Chria aliquando factum explicat: Sententia verò ſemper verba exponit. 2. Quod Chria ſemper additam habet perſonam: Sententia verò etiam ſine perſona efferri poteſt. 3. Affert aliud diſcrimen Priſcianus, quod ſcilicet Sententia indicativè profertur; Chria verò ſæpè etiam per Interrogationem, & Reſponſionem.

13. DICO 3. Utriuſque idem eſt Artificium, ex iiſdem enim capitibus, quibus Chria, tractatur Sententia. Cùm Auctoris nomen tacetur, laudatur quidem, ſed innominatus.

PROGYMNASMA V.

CONFUTATIO.

INSTRUCTIO I.

Quid ſit Confutatio.

1. DICO 1. Confutatio, quam alii cum Quintiliano Refutationem, alii Improbationem, Græci ἀνασκευὴν vocant, eſt propoſitæ alicujus rei ſubverſio.

2. DICO 2. Subvertenda ſunt neque manifeſta valde, neque prorſus incredibilia, ſed ea, quæ veluti mediæ ſunt conditionis, & ancipitem habent opinionem; Hinc

3. DICO 3. A Refutationis materia excluduntur Fabulæ manifeſtæ, atque Hiſtoriæ indubitatæ; niſi fortè in fabulis non rei falſita-

tem, sed aliquid aliud, Incohærentiam E. G. Inverisimile, aut Indecorum quid velimus arguere.

INSTRUCTIO II.

Confutationis Artificium.

4. DICO 1. Exordii loco oportet in eum invehi, cujus orationem subvertendam sumimus.

5. DICO 2 Rei Expositio syncerè subiicienda.

6. DICO 3. Ea subvertemus sex hisce capitibus. Obscuro, Incredibi, Impossibili, Non cohærente, Indecoro, Inutili; quamvis non omnia hæc capita in quavis Confutatione locum habeant, nec semper hoc ordine, ut illa retulimus, pertexenda.

7. Primò igitur Obscurum seu Incertum est, quod non satis manifestum apparet. E. G. Incertum est tempus, quo Narcissus sit conversus in Florem.

8. Secundò Incredibile est, quod ferè est supra fidem, quod raro accidat. V. G. Incredibile videtur, quòd Arion, quamvis malis affectus, canere tamen voluisset.

9. Tertiò Impossibile, seu Improbabile dicitur, quod fieri nequit; quod quidem caput majorem vim habet, quàm Incredibile: V. G. Impossibile est, naturæ vi spectatâ, Niobem in saxum fuisse conversam.

10. Quartò Non cohærens, seu Inconsequens, sivè Contrarium appellatur, quod minimè cohæret cum alijs personæ, resque, de qua agitur, fa-

ctis,

ctis, verbis, proprietatibus, &c. V. G. Inconsequens erat, voluisse perdere libertatem, qui libertatem servasset.

11. Quintò Indecorum æstimatur, quod indecens est: V.G. Indecorum erat Herculem post tot monstrorum triumphos, Mulierculæ prædam fieri, clavâmque cum fuso commutare.

12. Sextò Inutile apparebit, quod incommodum, vanum, omninò ineptum, nec utilitati, nec usui, nec honori usquam futurum est: V.G. Ludus est ex Urbibus exturbandus, nulla enim unquam emolumenta, ærumnas persæpè parere solet innumeras.

13. DICO 4. Septimò subnectenda est Epilogi brevissimi aurea Clausula.

INSTRUCTIO III.

Confutationis Stylus, Virtutes, & Vitia.

14. DICO 1. Huic usce Præexercitationi Stylus masculus sit oportet, omnémque propemodum artis vim in se contineat, præcipit Aphthonius: itaque omnibus Rhetoricæ Militiæ Instrumentis, & argumentationum telis, ut expugnet obarmetur. Dialogismos, Ironias, Subjectiones, Concessiones, concisè vibratas Propositiones, & similia, quibus vis, & ardor Oratorius magis incalescit, non refutat, ut docet P. Causinus.

15. DICO 2. Curandum, ut rationes, & argumenta magis convincentia in principio, & fine collocentur: milites enim delecti á fronte tergoque exercitûs adhiberi solent. In adversarii Sen-

tentia exponenda, ſynceritas eluceat, & ſi non eadem verba, (quod tamen nonnulli faciunt nimiùm ſcrupuloſi) idem tamen, nec alteratus adverſarii ſenſus fideliter eſt exponendus.

16. DICO 3. Cavendum, ne quid falſi immiſceatur, aut perſonæ, cujus ſententiam evertere nitimur, fictum quid imputetur, ne auctoritatem in dicendo amittamus. Rationibus potiùs, quàm injuriis indulgendum: & ſi quid acre, & aculeatum contra auctoris perſonam contorquere aliquando rei neceſſitas exigat, omninò vitandum cenſeo, ne tale ſit, quod Audientium aures offendat, neve tali audaciâ vibratum, ut adſtantium ſtomachum excitet, nauſeámque: ſed modeſtè proponatur, vel adhibitâ præcautione, vel alicuius figuræ luſu tectum, vel leporis ſale conditum.

17. DICO 4. Refutationis ideam habetis apud ipſum Aphthonium. Sed legite etiam ex Quintiliano in Declamatione prima pro Cæco reo Parricidii. Legite Confutationem illam, quam refert P. Cauſinus ex Gorgia Leontino, in qua Palamedes crimen proditionis diluit.

Optima item eſt Confutationis norma apud Titum Livium, qua Portius Cato Conſul Orationem habuit, turpem Bacchanalium ritum reprehendens.

PRO-

PROGYMNASMA VI.

CONFIRMATIO.

INSTRUCTIO UNICA.

Quid sit, & quale eius Artificium, Stylus, Virtutes; & Vitia.

1. DICO 1. Confirmatio est propositæ rei Comprobatio. Qui verò confirmare aggreditur, iisdem armis muniatur, ac qui confutare intendit: sed inverso ordine pugnandum.

2. DICO 2. Confirmanda sunt nec omnino Manifesta, nec prorsus Incredibilia, sed quæ medium servant ordinem.

3. DICO 3. Igitur laudandus est Auctor rei, quam confirmamus.

4. DICO 4. Res ipsa fideliter exponenda.

5. DICO 5. Contrariis capitibus utendum. 1. Scilicet pro Obscuro, Manifesto: 2. pro Incredibili, Probabili. 3. pro Impossibili, Possibili. 4. pro non Cohærente, Cohærente. 5. Pro Indecoro, Decente. 6. Pro Inutili, Utili, & Conferente.

6. DICO 6. Stylus idem sit, ac Confutationis, qui omne propemodùm artificium in se, robúrque contineat: tota enim Rhetorici Bellatoris spes, ratióque persuadendi in Confutatione, ac Confirmatione sita est.

7. DICO tandem, Auctoris laudes veræ sint, & non affectatæ: Frons Tergúmque selectioribus argumentis suffultum: Expositio sincera.

PROGYMNASMA VII.

LOCUS COMMUNIS.

INSTRUCTIO I.

Quid Rei, & quid Nominis.

1. DICO 1. Locus Communis est Oratio, qua bona, vel mala, quæ alicui insunt, augentur, ut præmio, pœnâve afficiantur: éstque Perorationi similis, qua post argumentationem utuntur Oratores.

2. DICO 2. Dicitur Locus Communisr quia omnibus convenit, qui rei bonę, vel malę, quam tractamus, participes sunt, atque ut ajunt, in eadem navi versantur: ut, si in Furem, aut Mendacem dicas, ea oratio in omnes Fures, aut Mendaces cadit; & si constantiam, aut diligentiam in Rhetoricæ studio extollas, ea laus constantibus omnibus, ac impigris Rhetoricæ studiosis convenit.

INSTRUCTIO II.

Loci Communis Artificium.

3. DICO 1. Exordium propriè non admittit Locus Communis, cùm sit rei amplificativus sermo, quæ jam manifesta præsupponitur. Rhetoricæ tamen Militiæ candidatis, ut vos estis, styli exercendi causâ aliquam procemii formam confingere permitterem.

4. DI-

4. DICO 2. Illa deinde Loci Communis Operatio: 1 ex Contrario ipsi virtuti, vel vitio, cuius laudes, vel dedecora amplificamus, ostendemus esse animadvertendum in scelus illud, ne Judicum Indulgentiâ cæteri similia patrare audeant; vel virtutem illam donandam esse præmio, ne cæteri deindè à bonarum artium laboribus præmii desperatione revocentur.

2. Caput est rei jam notæ expositio, ut magis inflammemus Auditores in Reum.

3. Caput comparationem affert, qua reum cum reo, crimen cum crimine conferentes, rem, de qua agimus, in majus extollamus.

4. Capite sententiam collocabimus: hoc est hominis mentem, & consilium criminantes, atque exprobrantes, agentis intentionem damnabimus, illum scilicet non ignorantem, aut invitum, sed scientem, ac volentem scelus perpetrasse deinde quid sperarit, quid animo intenderit suo, &c. investigabimus.

5. Caput habemus, si conjecturali quadam digressione præteritam vitam criminemur à præsenti, suspectamque Judici reddamus: dicendo, quòd fortasse ab ipsa ferè infantia sese similibus in sceleribus exercuerit.

6. Caput Misericordiam omnem, ac Miserationem excludat: quod fit sex capitibus illis, de quibus fusè agit Aristoteles Rhet. ad Alex cap. 1. Legitimo, nimirùm si dicamus nihil legibus magis congruere: Justo, E. G. Justum esse, ut pœnas luat: Utili, E. G. id saluti Reipublicæ conducere: Possibili, E. G. Facili negotio comprimi posse immanem furiam: Honesto, E. G. Nihil

ita

ita decere, & rationi consonum esse, quàm ut plectatur, qui omnes rationis leges labefactarit; Eventuro, E. G. Eius supplicio, civibus, reíque publicæ bona omnia eventura. Contra verò si rem bonam exaggeramus, cum proportione procedendum, & præmium expetendum est.

5. *DICO* 3. Denique brevis Epilogus subjiciendus in exortationem desinens.

INSTRUCTIO III.

Loci Communis Stylus, Virtutes, & Vitia.

6. DICO 1. Locus Communis stylum amat argumentosum, Confutationi, Confirmationíque non absimilem, fortasse etiam magis vehementem, & acutum.

7. DICO 2. In re exponendo Fidelitas, Veritásque primum semper locum habeant: nec ita procedendum est, ut quid novi explicare, ac probare velimus, sed ut rem jam notam suggeramus: unde cavendum. E. G. ne quæratur utrùm hic sit Sacrilegus, Fur, aut Vir constans, &c. sed res convicta jam, & manifesta exaggeretur.

PROGYMNASMA VIII.

LAUS SEU ENCOMIUM.

1. QUæ de hoc Paogymnasmate dicturi sumus, maximo digna sunt studio, animique applicationem exigunt singularem: mi- cum enim quantum profutura erunt Rhetoricæ Mi-

Militiæ tyronibus in Eloquentiæ Campo, ubi de Epidictica oratione, seu de Genere Exornativo, Panegyrique contexenda sermo erit; huc enim inde vos remittam.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Laus, seu Encomium.

2. DICO 1 Laus, quæ à Cicerone Exornatio, à Græcis *Εγκώμιον* appellatur, definitur ab Aphthonio: Expositio bonorum, quæ alicui insunt, seu Oratio bona alicujus enumerans. Quoniam verò volunt passim Auctores, ejusdem Aphpthonii mentem assecuti, Encomium ab Hymno, & Epæno, Elogioque differre, quia Hymnus apud Veteres supersitiosos Deorum proprius erat, & metro astrictus: apud Scriptores Orthodoxos DEI O. M & Divorum, qui gloriæ, divinæque immortalitatis participes sunt: Encomium verò Mortalium proprium est, nec metro, propriè servit: Epænus, Elogiúmque paucis absolvitur, & quidem acutioribus verbis: Encomium verò graviùs, fusiúsque procedit, & secundùm artem profertur, idcircò.

3. DICO 2. Veterum definitio, ita clariùs explicari posse videtur: Laus seu Encomium est paulò fusior oratio, quæ bona alicujus rei creatæ citra metrum enumerat. Dixi paulò fusior, ut Encomium ab Epæno, Elogióque sejungerem: addidi præterea, rei creatæ, ut à laude divina illud secernerem, apposui tandem citra metrum, ut ab Hymno, aut simili laudatorio carmina discriminarem: quamvis enim qualibet laus Enco-

mium

mium dici possit, & passim soleat; strictè tamen, & antonomasticè solum hoc Progymnasma Encômium dicimus cum Aphthonio.

4. Objicies: Encomium videtur idem esse cum Loco Communi, quo bona alicujus enumerantur: ergò non est Progymnasma diversum.

5. Respondeo; nego antecedens: & diversitatem assigno: Locus enim Communis primò cùm bôna, tum mala alicujus, potest amplificare: Encômium verò s[.]la bona: secundò, Locus Communis, rei, cujus bona, maláve amplificat, præmium, pœnámve intendit; Encomium verò meram rei æstimationem in genere intendit.

INSTRUCTIO II.

Laudis, seu Encomii Artificium.

6. DICO 1. Præter Vitium, atque id, quod vitio deturpatur, omnia laudari possunt: sicut etiam præter Virtutem, résque illas, quas virtutis fulgor illustrat, omnia possunt vituperari: ita res alioqui viles argumentum Encomio præbere possunt, præcipuè ad ingenii ostentationem: sic Lucianus Muscam laudibus cumulavit, Majoragius Lutum, Passeratius Asinum, Cœlius Calcagninus Pulicem, Melanchthon Formicam, Ugobaldus Calvitium, Janus Dousa Umbram, Barlæus Ens rationis. Willibaldus Podagram.

Alii febrim, morbos, paupertatem, & similia laudibus in cœlum extulerunt: ut è converso non infimæ notæ scriptores divitias, nobilitatem, ingenium, scientias, studium, bonam valetu-

di-

dinem, &c. vituperio afficere, & maledictis proscindere, ad ingenii jactantiam, & quidem feliciter, sunt agressi.

7. DICO 2. Contra Recentiores nonnullos, rerum omnium laudandarum, sivè animatæ illæ sint, sivè inanimatæ, sivè in communi, sivè in particulari exornentur, idem, vel ferè idem esse artificium.

8. DICO Igitur 3. Sex sunt Encomii partes Exordium, Genus, Educatio, Res gestæ, Comparatio, Epilogus.

Pars prior.

9. Exordium tale esse debet, quale vel rei qualitas, vel locorum, vel temporum, vel personarum varia conditio, aut dignitas exigit; quódque Auditorum conciliationem pariat: deduci poterit, vel a commendatione rei, de qua agimus, vel adhortatione ad illam honoribus cumulandam.

10. Genus bifariam dividitur; unum enim animatum est, ut Parentes, Majores, Fratres, Affines, Propinqui, &c. Inanime alterum, ut Regio, Urbs, Nobilitas: atque huc reducuntur omnes partûs circumstantiæ, prodigiáque, quæ occurrerint ante partum, vel in partu: vel quid simile, quod fortè evenerit, vel ex somniis, vel ex vaticiniis, vel hujusmodi prænunciationibus: V.G Si vis laudare Maurolycum Civem Mamertinum, Mathematicæ facultatis suo ævo facilè principem, in cujus Natali die Cometes apparuit, dicere poteris, illum Sapientiæ Solem fuisse clarissimum, cujus ortum novum sydus ætheris lingua prædixit: & sanè novo Phœbo tunc Messa-

sanę orienti novum Phosphorum convenisse. In rebus verò, in quibus hæc deerunt, tempus præteritum materiam suppeditabit amplissimam, & quasi Genus erunt Inventores, Conditores, Antiquitas, vel falsi Dii, sub quorum tutela res illas esse Poëtæ fingebant: V.G. Myrtus, Columbáque Veneri, Apollini Laurus, Creta Insula Jovi dicata erat: Messanam Zanclus Gigas condidit, Venationem Diana, & Apollo invenerùnt: Olivam Minerva, Equum Neptunus primus in lucem evocavit.

Tertia Pars.

11. Educatio continet personæ laudandæ Institutionem, Artem, & Leges.

12. Institutio est, in qua laudabis personam à præceptoribus, ab institutoribus, & modo, quo educata fuerit, atque erudita: ut de Achille E.G. quòd Leonum medullis pastus sit, & à Chirone eruditus. Si laudas brutum E.G. Leonem cicurem, & mansuetum, dic modum, magistrúmque, à quo fuerit cicuratus: dic E.G. modum cibósque quibus pascatur Luscinia, Passer Solitarius, aliæque aves musicæ, sique id multâ curâ agatur admirare: sin parva, id quoque lauda: si arborem, vel florem laudas, dic qualis sit ejusdem cultura.

13. Ars est, in qua laudabis personam ab artibus, studiisque, quibus operam dederit, Rhetoricę V. U. Militię, Medicinę, &c.

14. Leges denique sunt, sub quarum regula, atque institutione vixisse dicemus personam, quam laudabimus à Republica, principibus, usibus, &c. quod locum habere poterit in laudibus Apum, Formicarum, &c. quarum œconomia, immo, & respublica, est penè admirabilis.

Quarta Pars, & præcipua.

15. Res gestas continet, illustriáque facinora, quæ vel in vita perpetravit, vel in morte, vel post obitum acciderunt.

16. In vita, ut bona omnia tum corporis, tum fortunæ, tum animi: Bona corporis sunt Pulchritudo, Robur, Sanitas, Agilitas, &c. Bona fortunæ sunt Opes, Potentia, Dignitas, Amici, &c. Bona animi nuncupantur virtutes, ut Temperantia, Fortitudo, &c. Scientiæ, & Artes, ut Theologia, Philosophia, Rhetorica, Matesis, &c.

17. In Morte Encomii materiam habebimus, si parùm, vel multum vixerit, quem laudamus. Si parùm, dicemus diù tamen gloriæ vixisse: si multum, dicemus parùm nihilominùs desideriis nostris, atque Reipublicæ vixisse. In Morte similiter recenseantur mortis ipsius genus, & circumstantiæ, si præsertim in bello, aut in simili occasione gloriosè occubuerit: item si ab inclyti nominis hoste fuerit occisus, ut Achilles, qui ab Apolline; Thurnus, qui ab Ænea; quod laudis argumentum esse potest.

18. Post Mortem numerandus populi mœror, magnifica parentalia, sepulchrum, epitaphium. Denique si quid stupendum, aut miraculosum occurrerit: ut in obitu Maurolyci Civis vestri crinitum sydus apparuit: meritò enim Mamertino Phœbo occidenti Cœlum ipsum crinitę facis syrmate parentavit.

19. Advertite hìc, quòd in laudatione Urbium simili methodo procedendum est, laudando earum bona, V. G. Aëris benignitatem, Cœlíque temperiem, mare, fluvios, piscosos præsertim,

na-

navigabiles,agros, viridaria, opulentiam, situm, munitionem, hominum multitudinem,alimenta, ædificia, templa, fora, theatra, circos, balnea, thermas, vias, postes, statuas, monumenta, fontes, aquæductus, civium humanitatem, hospitalitatem,studia, pietatem erga parentes,DEUM, Deiparam, ac Divos omnes.

20. In laudibus aliarum rerum similiter earum bona in medium sunt afferenda, V. G. Corporis pulchritudo, & proceritas, utilitas ad humanum victum, ad vestes, cibos, salutaria pharmaca efficienda, &c.

Quinta Pars.

21. Comparatio præstare debet, ut, qui laudatur, a teri collatus magis eluceat: V. G. Archimedi com arabis, & deindè præferes Maurolycum: Carolo Quinto Austriaco Carolum tum fortunâ, tum nomine Secundum.

Sexta, & ultima Pars.

22. Epilogus laudem claudat, vel excusando, quod minùs aptè Encomium absolveris: vel ad rem, quam laudas, Apostrophen dirigendo, ut condonet, tuíque curam è Cœlo habeat, vel alia formula, quæ videbitur opportuna.

INSTRUCTIO III.

Encomii Stylus, Virtus, & Vitia.

23. DICO 1. Encomii Stylus troporum flores, figurarúmpue concinnitatem admittit, artéque, & industriâ perpoliendus est, ubi præcipuè sterilis laudum campus occurrit.

24. DICO 2. Prudentia in laudationibus est ad-

adhibenda, nihilque laudandum, nisi honestum illud sit,& aliqua laude dignum inveniatur,quodque rei æstimationem parere possit in Auditoribus. Unde.

25. DICO 3. Cavendum, ne ementitis, & puerilibus superjectionibus rem supra naturam, ac mores extollamus: neve lippum, E. G. oculorum acie commendare aggrediamur, vel deformem à corporis elegantia, non sine audientium risu.

26. DICO 4. Encomii virtutem esse, ut laudes dicamus proprias non communes, quæque omnibus ferè possint aptari. Iterum virtus est, ut si rei, quam laudamus, aliquid ex supra allatis capitibus desit, tunc vel illam partem ex industria omittamus, vel in majus laudis argumentum convertamus. V. G. si quis vili patriâ, vel obscuris natalibus fuerit, dicemus, quòd ille patriam suam, atque familiam, non illum patriæ, familiæque fulgor illustrarit; quódque meliùs sit se ipsum virtute nobilem reddere, quàm absque proprio merito nobilitatem à parentibus traxisse cum sanguine.

PROGYMNASMA IX.

VITUPERATIO

INSTRUCTIO UNICA.

Quid sit, & quale ejus Artificium.

1. DICO 1. Vituperatio est sermo exponens mala, quæ alicui insunt.

2. DICO 2. Differt à Loco Communi, quòd ille

ille pœnas exposcit. Vituperatio nudum convicium habet, solámque rei infamiam intendit.

3. DICO 3. Vituperationis Artificium idem est, ac Laudis, sed inverso ordine: eadem enim vituperandi, ad laudandi leges, & capita.

4. DICO 4. Si res, quam vituperamus, quid boni habere videatur, E. G. generis nobilitatem, divitias, corporis pulchritudinem, vel quid simile, dicemus illa omnia vitiis contaminasse, & à patria nobilitate degenerasse.

PROGYMNASMA X.

COMPARATIO.

INSTRUCTIO I.

Quid sit, & quotuplex.

1. DICO 1. Comparatio est oratio ex collatione aliquid disquirens, quo rem, quam alteri comparat, majorem ostendat, vel saltem æqualem: V. G. Comparo Messanam cum Athenis.

2. DICO 2. Differt hæc præexercitatio ab ea Comparatione, quæ inter schemata Sententiæ numeratur, quod illa brevis sit exornatio, hæc autem, instar Laudis, aut Vituperationis, fusiùs tractari soleat.

3. DICO 3. Duplex est Comparatio, prima est, qua comparamus æquale cum æquali, ut bona cum bonis, V. G. Leopoldum Cæsarem cum Alexandro Magno: vel mala cum malis, V. G. Pestem cum Fame, vel Bello. Secunda est, qua inæqualia comparamus, ut juxta se posita, magis elu-

elucescant, ut mala cum bonis, V. G. Cainum cum Abele; vel minora cum majoribus, V G. Formicarum, Apúmque universitates cum Hominum Republica.

INSTRUCTIO II.

Artificium.

4. DICO 1. Quoniam Comparatio vel duarum rerum laudes, vel utriusque vituperationem, vel unius laudem, alterius vituperationem continet; idcircò ejus Artificium fiat per eadem capita, per quæ construitur Laudatio, nimirum primò per exordium: deindè comparando genus cum genere, educationem cum educatione, res gestas cum rebus gestis, &c.

5. DICO 2. Non oportere unico ictu res totas totis conferre, sed capiti caput, hoc est genus generi, educationem educationi, &c.

INSTRUCTIO III.

Comparationis Stylus, Virtutes, & Vitia.

6. DICO 1. Huic Progymnasmati stylum opus esse celerem, qui scilicet facilè in agiles transitiones feratur: unde fortem, callidúmque exigit Oratorem.

7. DICO 2. Si, dum comparamus rem cum altera, ut unam supra aliam extollamus, caput aliquod occurrat, in quo non nisi ægrè, & affectatè possimus illam, ut volumus, alteri anteponere; tùm caput illud prudenti silentio prætereundum.

8. DI-

8. DICO 3. Comparationem non debere intercedere inter res omninò disparatas: & si quandoque rem admodum parvam cum maxima comparamus, V. G. Sacerdotis potestatem cum Divina; utendum modestiæ clausulis, quibus, cum Virgilii Tytiro, parva licet componere magis.

9. DICO 4. Integræ Comparationis exempla habetis apud Aphthonium, ubi Hectorem comparat cum Achille: brevioris tamen Comparationis paradigmata passim invenietis apud Auctores. Legite præsertim Patrem Famianum Strada de bello Belgico decade prima, ubi eruditè satis, ut solet, comparat Carolum Quintum cum Philippo Secundo filio, Carolum Hispaniæ Principem cum Joanne Austriaco, & Alexandro Farnesio, &c.

Sed interim sufficiat Comparationis fragmentum, quod nunc præ manibus habemus in Ciceronis Oratione pro Lege Manilia, quam explanamus, ubi Tullius recentes Romanos comparat cum Veteribus, ut ipsorum animos ad socios defendendos inflammet.

PROGYMNASMA XI.
ETHOPOEIA.

INSTRUCTIO I.
Quid sit, & quotuplex.

1. DICO 1. Ethopœia, quam aliqui ex Latinis Allocutionem appellant, est imitatio morum alicui personæ accomodata, ut indicat ipsum nomen Grecum ἠθοποιία 2. DI-

2. DICO 2. Triplex eſt, 1. quæ abſolutè dicitur Ethopæja: ſecunda Idolopœja: tertia Proſopopœja.

3. Ethopœja eſt, quæ notam, verámque perſonam inducit, & ſolum verba, vel mores effingit: V. G. Quid dicere potuiſſet D. Xaverius, cùm morti proximus, charitate erga DEUM potiùs, quàm febri oppreſſus, languentis capitis vitio, in delirium incidiſſet.

4. Idolopœja eſt, quæ perſonam notam, verámque continet, ſed jam vitâ functam, ut fecit Tullius, qui Appium cæcum jam mortuum contra Clodium verba facientem introduxit,

5. Proſopopœja eſt, qua finguntur omnia, cùm mors ſcilicet, tum perſona, ut ſunt illæ apud Ciceronem, quibus Patria, & Reſpublica perſonarum more loquentes in invectivis effinguntur.

6. DICO 3. Hæ omnes Ethopœję triplicis generis fieri poſſunt; Primò paſſivæ, quas alii paſſionales appellant; ſecundò morales: tertiò mixtæ.

7. Paſſiva eſt, quæ paſſiones, motuſque animi perpetuò exprimit, dolorem, E. G. vel lętitiam: ut quæ verba dixerit Magdalena, cùm dilectiſſimum Præceptorem patibulo ſuffixum aſpiceret.

8. Moralis eſt, quæ ſolos mores ante oculos ponit, non jam dolorem, vel lætitiam, vel aliem paſſionem: V. G. Quid diceret Ruſticus mediterraneus, cùm primùm maris immenſitatem intueretur.

9. Miſta denique eſt, quæ motus animi pariter, moréſque alicujus effingit; V. G. Quid dixiſſet Achilles, Patroclo intefecto, pugnare ſtatuens:

tuens: hæc enim exprimit passionem ob amici funus dolentis, & morem, id est consilium pugnā deliberantis.

INSTRUCTIO II.

Artificium, Stylus, Virtutes, & Vitia.

10. DICO 1. Ethopœjæ Artificium est procedere per omnia tempora, incipere scilicet à præsenti, recurrere ad præteritum, transire tandem ad futurum: V. G. Si vis inducere loquentem Famam de aliquo egregio Duce, vel Principe, E. G. Comite Sancti Stephani, Prorege, dic primùm, quid nunc agat, dum communi plausu, populique benevolentiâ Siciliam, Regis vice, feciliter moderatur: dic deindè, quid egerit tempore elapso, vel palmas, vel proprio, hostiùmque cruore irrigans lauros, vel tranquillo pacis otio emerita gaudens honorum adorea: dic tandem, quid se dignum facturum præterea temporis decursu polliceatur.

11. DICO 2. Ethopœjæ stylus dilucidus sit, brevis, floridus, disjunctus, ab omni flexu, superfluaque figura remotus, argutiis tamen conspersus, nec multum suffarcinatus.

12. DICO 3 Servanda diligenter est personarum, temporum, locorúmque proprietas: alia enim verba esse debent, quæ Regi; alia, quæ plebejo; alia, quæ seni; alia, quæ juveni; alia, quæ mulieri, pueròque tribuuntur: undè si E. G. Pastorem loquentem inducas, de gregibus, armentis, calamis sermonem facientem exprimas: si piscatorem, de mari, navibus, piscibus, su-

fuſciníſque: ſi Ducem; de bello, turribus, victoriis, ac triumphis, & ſic de reliquis.

13. DICO 4. Si quid contra has leges fiat, vitio vertendum.

Digna eſt, quæ legatur Eloquentiæ Proſopopœja, apud Patrem Nicolaum Cauſinum, flebiliter apud Jovem de ſuis corruptoribus conquerentis.

PROGYMNASMA XII.

DESCRIPTIO.

1. DEſcriptiunculas amant omnes hac tempeſtate: illiſque Auditorum plauſum Oratores aucupari ſolent. Sed multo ſale opus eſt ad illas aptè, & citra puerilitatem adhibendas.

INSTRUCTIO I.

Quid ſit Deſcriptio, & quotuplex.

2. DICO 1. Deſcriptio eſt oratio colligens, & veluti oculis repræſentans id, quod exponit: & fit vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi causâ.

3. DICO 2. Omnia ſanè deſcribi poſſunt, & quandoque res deſcripta deſcriptioni nomen efformat: hinc perſonæ deſcriptionem græco vocabulo dicere ſolemus Proſopographiam; temporum, Chronographiam; Terræ, Geographiã; Cęli, Uranographiam; Aquarum, Hydographiam, &c.

4. DICO 3. Dividitur Deſcriptio in Imaginem, ſeu Iconem, Effictionem, Notationem,

Demonstrationem, seu Hypotyposin.

Imago, sive Icon.

5. Dicitur illa, qua ob similitudinem formam cum forma componimus: atque huc reducuntur Parabolæ. V. G. Describo piscem Citharoedum ex Æliano, qui citharæ signum dorso gestat, sed tamen elinguis est, cui deinde comparo vanum doctrinæ simulatorem.

Effictio.

6. Est expressio corporis, V. G. ex Sidonio Apollinari: Corpore erat exacto, longissimis brevior; procerior, eminentiótque mediocribus. Capitis apex rotundus, in quo paululum à cavitate frontis in verticem cæsaries refuga crispatur, Geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus, &c.

Notatio.

7. Est Descriptio morum ab adjunctis, seu circumstantiis, quam potiùs Etopœjam vocarem cum P. Lebrun: ut fecit Cicero, qui in orat one pro Cęlio egentem seditiosum descripsit; vel in Oratione pro Cluentio, in qua descripsit Mulierem amantem, & sceleratam; vel pro Roscio Amerino, divitem splendidum.

Demonstratio, seu Hypotyposis.

8. Est, cùm res veluti verbis depingitur ita, ut ante oculos geri, & versari videatur, in qua solemus uti adverbiis, pronominibus, verbísque demonstrativis, V. G. En, ecce, hic, ille, audio, video, aspicio, videre mihi videor, audire mihi videor, &c.

9. DICO 4. Ad Descriptionem reduci posse videtur Distributio, quę est venusta quędam parti-

titio, & veluti rei pictura, in qua ita rem exprimimus, ut singula singulis respondeant, V. G. ita describitur Protei instabilitas apud P. Causinum: Proteus Pharius miraculum Homericum est; multæ quidem ejus diversæque formæ: in aquam attollitur, in ignem accenditur, in Leonem excandescit, in Svem ruit, serpit in Draconem, assilit in Pantheram, assurgit in arborem. Vel sic cum Plutarcho describi potest vir egregius: Erat quidem in eo Cyri spiritus, Agesilai temperantia, solertia Themistoclis, usus Philippi, fiducia Brasidæ, Eloquentia Periclis.

INSTRUCTIO.

Descriptionis Artificium.

10. DICO 1. Variè fieri potest Descriptio; Primò enim describi potest res per negationem, id est, exprimendo id, quod non est, vel id, quod non habet. V. G. Volo describere noctis horrorem; dicam, quid noctu desit in Cœlo, in sylvis, in urbibus, sic: Non Cęlum aureo Solis radio superbit, non sylvæ avium cantiunculis animantur, non Oratorum declamationes, Mercatorum negotiationes in foro, &c. Et hoc modo passim solet describi DEUS O. M.

11. DICO 2. Describi potest res per affirmationem, dicendo quid sit, vel quid contineat; V. G. Volo describere agri amœnitatem; dicam vestri florum gemmis, arborum comis ornari, musicarum volucrum lenociniis resonare, crystallioo ptæter labentium fontium susurro consalutari, &c.

12. DICO 3. Describi potest res sequendo ductum sensuum; dicendo, quæ tanguntur: ut si vis describere Trojam ab hostibus incensam, exprime, quæ videantur in mœnibus, in viis, in templis, in foris, in officinis, &c. quæ audiantur dicta, à victoribus scilicet lætæ voces, & epinicia; à victis, à morientibus, à captivis, à pueris, à matribus, gemitus, clamores, ululatus, &c.

13. DICO 4. Describi potest res per partes, quæ Descriptio hodie valdè trita est, & communis: V. G. Volo describere Hominem iratum; dicam: Cervicem erectam, oculos inflammatos, motus, voces, &c. Sic etiam potest describi Urbs, discurrendo per ejus partes singulas.

14. DICO 5. Describi potest res per varias definitiones conglobatas, quæ hodiè mirũ quanto plausu accipiantur, & placeant, præsertim si cùm metaphoræ elegantia conjungantur: V. G. Volo describere Solem; vocabo Principem planetarum, astrorum Monarcham, cœli oculum, atque ornamentum, &c. Vel si placeat describere Rosam; dicam esse florum Reginam, Veris purpuram, pulchritudinis arcem, spinarum satellitio munitam, sylvarum ocellum, agrorum Solem, Nympharum delicias: vel si Pulchritudinem, dicam: Pulchritudo est ignis, qui tangentes urit, distantes inflammat, ex Xenoph. Eburneum detrimentum, ex Theocrito: Modici temporis tyrannis, ex Socrate: Tacita Deceptio, ex Theophrasto, &c.

15. DICO 6. Describi potest, singula, quæ in re illa interveniunt, percurrendo, illáque explicando, ubi inservire poterit carminis illius

usus,

usus, quod in Narratione retulimus.

Quis, quid, ubi, quibus Auxiliis, cur, quomodo, quando.

V. G. Volo describere tempestatem; exprimam ex parte Cœli, nubes, tonitrua, fulmina, ventorum phalanges obluctantes; ex parte maris, spumas, fluctus, montésque procellarum: ex parte nautarum, metus, vota, lacrymas, irritos conatus, &c.

INSTRUCTIO III.

Descriptionis Stylus, Virtutes, & Vitia.

16. DICO 1. Stylum debere esse tenuem, & multiplicibus orationum schematibus varium, qui res, quas describit, veluti pingat, atque imitetur, sique rem hilarem describit, hilaritatem præseferat ipso etiam sono, periodis, phrasibúsque ad hilaritatem exprimendam accommodatis: si rem tristem explanat, mœtorem redoleat: si bellicam, Martem sapiat, &c.

17. DICO 2. Cùm personam describimus, descendendum est à summis ad ima, id est, à capite ad pedes: cùm verò res, ab antecedentibus ad ea, quæ ipsis insunt, vel ab ipsis emanant, procedendum. Ita tamen, ut priùs tota rei natura, ac veluti facies Auditoribus obiiciatur, deinde paulatim ita circumstantias percurrendo, verbísque, ac figuris idoneis utendo, rem depingamus, ut quàm maximè evidens, perspicuáque reddatur.

18. DICO 3. Cavendum primò, ne descriptiones sint nimiùm frequentes.

19. Secundò, ne ſint extra rem, & intentum noſtrum ptimarium: adeò ut qualibet levi occaſione propoſita, ſi E. G. Sylvam nomino, illico ſylvæ Deſcriptionem depromam.

20. Tertiò, ne ſint nimiùm prolixæ.

21. Quartò, ne in Oratione gravi nimiæ ſint, & ridiculæ.

22. Quintò, ne ad ſingula quæque, & minima deſcendamus, niſi fortè movendi riſûs gratiâ in comicis, aut ſatyricis.

23. Sextò, ne ante deſcriptionem veluti præambulum præmittamus (quod non neminem nimis pueriliter facientem, non ſine ſtomacho, quondam audivi) perinde ac ſi magnum quid promitteretur: quandoque enim.

Parturient montes, naſcetur ridiculus Mus.

24. Septimò, ne ſint nimis affectatæ, ut enim optima Rhetoricæ Artis profeſſio, atque uſus, ita ſanè peſſima res eſt eam ad jactantiam prodere, atque affectare.

INSTRUCTIO IV.

Deſcriptionum Exempla nonnulla.
Rhetorica deſcribitur.

Ex Tull. lib. 2. de Nat. Deor.

25. JAm verò domina rerum eloquendi vis quàm eſt præclara, quàmque divina? quæ primùm efficit, ut ea, quæ ſcimus, alios docere poſſimus. Deinde hec cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtientes com-

comprimimus, hac cupiditates, iracundiásque restinguimus: hæc nos juribus legum, urbium societate devinxit: hæc à vita immani, & ferâ segregavit, &c.

SICILIA.

Ex Orat. D. Rosal.
P. Hieron. Petrucci.

a6. INsulam Tyrrheni freti regnatricem Siciliam, quæ, ut miraculo sit nationibus aliis, in aquis vivens, ab ignibus animatur; abundè contra hostium incursus providentissima natura munivit, cui pro fossa dedit mare circumfluens, pro turre imminentem desuper Ætnam, ac pervigilibus flammis excubantem. Neque opus hoc propugnaculum habet igniariis armari tormentis, terrenísve fulminibus circumvallari: quando suis mons ipse visceribus amore patriæ succensis, atque ad eam defendendam libenter effusis improviso fulgore, tonitrúque horribili, vel in mediis undis inimicæ classi minitatur incendium. Et justissimus quidem fuit in ea propugnanda insula naturæ conatus, quæ non solùm esset ex antiquo præconio horreum Populi Romani, sed etiam hortus, ac delicium generis humani. Quamobrem non omninò mendacii rea facienda sunt veterum commenta poëtarum, quæ magistras voluptatum Sirenes in Sicilia, tamquam deliciarum in regno collocarunt; hoc potiùs nomine fabulosa, quòd in potu salutari nocentes effinxere delicias, &c.

Moles crystallina instar cœli elaborata, ex P. Guinis. alloc. prima.

27. MAchinam è crystallo conflavit, nescio quis non tàm dolandi, quàm adulandi faber egregius. In ea cœlestium moles orbium inclusit, cursum Solis, ac Lunæ, syderum moras, conversionésque distinxit: cælo supposuit aërem tenuissimè explicatum, cujus superior regio salubris, atque innocens libera semper esset à turbis, atque turbinibus; inferior mutationibus obnoxia, modò amœnitate, ac luce blandissimâ rideret, modò cogeretur in nubes [nam hæc omnia artifex inseruerat] modò tempestatibus ageretur, rigeret modò procellis, imbribusque diffluerent, tonaret, fulguraret, mentita quoque fulmina contorqueret. In media mole Chosroën insculpsit è gemma, veluti DEUM operi immissum suo, ac supercilio terrarum domino sustinentem omnia, moventem, ac dexteræ jubentis imperio moderantem, &c.

NARCISSUS, POËTICE.

Ex P. Ab. Ines lyr. cent. prima Ode 81.

28. *ILlinc minore flore Narcissus nitet*
Canòque pallescit gelu,
Quem si loquaris, suscitata flebili
Suspirat Echo murmure,
At nec sub uno flore Narcissus latet,
Nec crine eodem fluctuat.

Illinc

Illinc fideli purpuram mendacio
Mentitur, & fingit rosas.
Illinc pudico subrubentes murice
Vivas odoris pyxides
Suspendit, indè luteas refert notas
Floræque tintinnabula.
Hinc ditiori pingit auro pendulam
Floris tenelli bracteam.
Ac distributis in modum stellæ comis
Flavum rotundat verticem.
Illinc cruentum mentiente sericum
Nutat, labàtque coccino:
Aut nigricante buxeum ferrugine
Sensim colorem diluit.
En rursus idem in aureis flavet genis,
Auròque ridet duplici,
Argenteòque lacte consperum caput
Virente concludit mitrà:
Et qua supremi verticis surgit coma,
Raro rubescit sanguine, &c.

PROGYMNASMA XIII.

THESIS.

INSTRUCTIO I.

Quid sit, & quotuplex.

1. DICO 1. Thesis, quam alii Positionem, alii Causam appellant, est indefinitæ rei investigandæ per orationem consideratio; quando nimirum aliquid per orationem investigamus: V. G. An sit navigandum. Dixi, indefinita, hoc

est, quæ non explicat determinatam circumstantiam personæ, rei, causę, &c. ut esset quærere, an viro nobili, anadolescentulo sit navigandum; an hæc domus sit hic, & nunc ædificanda tunc enim Hypothesis, seu Suppositio diceretur, & magis ad controversias, quàm ad Progymnasmata pertineret.

2. DICO 2. Duplex est Thesis, Primò alia Civilis: Secundo alia Contemplativa seu Inspectiva, sive Intellectiva.

3. Civilis, quæ rem quærit civitati accomodatam: & pro fine habet aliquam actionem faciendam, aut omittendam, ut, An sit hostibus bellum inferendum.

4. Contemplativa est, quæ ad solam considerationem, & intellectum pertinet, cujus finis est sola veritatis cognitio. V. G. An terra sit rotunda, an mare sit globosum.

5. DICO 2. Subdividitur Thesis in simplicem, & compositam.

6. Simplex est, quæ unum quærit, E. G. An bonum sit Rhetoricæ studium.

7. Composita est, quæ plura comparat. V. G. An meliùs sit Rhetoricæ, aut Philosophiæ operam dare.

8. Quæres 1. Cur differat Thesis à Loco communi.

9. Respondeo: quia Locus Communis jam probatæ, & convictæ rei exaggeratio est. Thesis vero rei dubiæ investigatio.

10. Quæres 2. Cur differat Thesis a Confirmatione, & Confutatione.

11. Respondeo: quia Thesis continet necess-

cessariò quæstioneın supra aliquam rem: An E. G. sit navigandum, an Cœlum sit solidum. Confirmatio verò, & Cōnfutatio talem quæstionem non necessariò contrinent, sed per ipsas confirmantur, vel confutantur, quæ aliquis asseruir.

INSTRUCTIO II.

Thesis Artificium, Stylus, Virtutes, & Vitia.

11. DICO 1 Thesis primò fiat per Ephodum, seu proæmium.

13. Secundò procemium ad Narrationem ex directo tendat.

14. Tertiò per illa capita excurratur, Legitimum, Justum, Utile, Possibile, Decens, quæ supra explicuimus.

15. Quartò, si quid probabiliter contradici posse videatur; id suo loco refutandum, atque adversariorum argumenta incidentia opportunè reprobanda.

16. Quintò pet Epilogum perorandum, in quo hortatione, communique hominum more, atque opinione uti poteris.

17. DICO 2. Circa stylum Thesis, virtutes, ac vitia consule, quæ diximus in Confutatione, Confirmatione, & Loco Communi: Thesis enim vel ad rem aliquam, hortatur, & sic cum Confirmatione oonvenit: vel dehortatur, & sic cum Confutatione cohęret: vel tandem ad unum hortatur, ad alterum dehortatur, & tunc utrique similis est.

PRO-

PROGYMNASMA XIV.

Et Ultimum.

LEGISLATIO.

INSTRUCTIO I.

Quid sit, & Quotuplex.

1. DICO 1. Legislatio est promulgatio, vel abrogatio legis.

2. DICO 4. Triplex est: prima, quæ legem seu novam, sive antiquam defendit.

3. Secunda, quæ legem accusat, sive nunc, sive olim promulgatam.

4. Tertia, quæ utrumque præstat, unam nimirum legem accusat, alteram verò defendit: queque, ut patet, est unius legis Confirmatio, alterius Confutatio.

PROGYMNASMA II.

Artificium, Stylus, Virtutes, & Vitia.

5. DICO 1. Legislatio primò proæmium legi accommodatum desiderat.

6. Secundò rem tractandam exponit.

7. Tertiò, contrarium subijciens, illud diluit, evertitque, sive unum sit, sive multiplex.

8. Quartò capitibus illis finalibus, quæ toties diximus, communitur.

9. Quintò tandem brevis conclusiuncula apponenda.

10. DI-

10. DICO 2. Circa ejus ſtylum, virtutes, & vitia, legite, quæ in poſtremis Progymnaſmatis didiciſtis.

11. Exempla plurium Progymnaſmatum, ut videtis, prætermiſimus, ne nimium temporis tranſcribendo inſumeremus. Qui illa deſiderat, conſulat Aphtonium, La Cerda, Pomey. Vos interim exempla annotate, quæ nos, dum hæc dictamus, ad ſtylum exercendum in Gymnaſio componimus.

Hæc de Progymnaſmatis delibaſſe ſit ſatis, ad majorem DEI, Deiparæque gloriam. Hactenus Palæſtritam potius, quàm Rhetoricum Militem egimus. Nunc ad Campos Eloquentiæ properamus.

MI-

MILES RHETORICUS

SEU

ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM.

PARS POSTERIOR.

I.

IN priore parte ſatis proluſimus ſub Aphtonjo, Adoleſcentes optimi, nunc Eloquentiæ Campus nos habet. En obſtrepunt jam Rhetoricæ militiæ tympana, tubarum clangor en aures ferit. Animorum triumphandorum ſpes ſtudio, diligentiáque pectus obarmet.

RHETORICÆ MILITIÆ CASTRA.

2. Eloquentiæ Caſtra in primis locamus, hic ubi, priúſquam capiamus arma, exercitatiònem inſtituimus ad Rhetoricæ ipſius naturam meliùs cognoſcendam.

EXER-

EXERCITATIO UNICA

INSTRUCTIO I.

Quid ſit Rhetorica, & quotuplex.

1. DICO 1. Rhetorica ſic dicta à voce Græca Ρητορικὴ quam aliqui deducunt à verbo ῥέω quod eſt, fluo; (fortaſſe, quia Orator fluit dicendi copiâ) eſt Ars ornatè, aptéque dicendi, ad perſuadendum: quæ quidem definitio optima omnium eſt, quamvis ſit contra nonnullos. Probo eſſe optimam, ita enim hæret Rhetoricæ, ut huic ſoli arti, nec alteri aptari poſſit, nec alia melior, & clarior aſſignari.

4. Dixi primò, Ars; quia Rhetorica tradit certa quædam præcepta, quibus ſervatis aptè quis, ornatéque dicat neceſſe eſt.

5. Dixi ſecundò, Ornatè; ſi quis enim aptè quidem ad perſuadendum, non tamen ornatè diceret, abſolutè Rhetoricus non eſſet; ſic Logicus dicit quidem argumenta apta ad perſuadendum, nec tamen Rhetoricus nuncupatur, quia ornatè dicere non laborat.

6. Dixi tertiò, Aptè; ſi enim quis ſolùm ornatè diceret, non tamen aptè ad perſuadendum, Rhetoricus dicendus non eſſet: ſicuti ſi quis chlamyde tantum militari, & extrinſecis militiæ ornamentis inſignis procederet, ut pueri, vel comœdiarum milites perſonati, non tamen aptus eſſet ad pugnam; miles neutiquàm haberetur.

7. Dixi, quartò, Dicendi; ſi quis enim perſua-

suaderet quidem, sed non dictis, Rhetoricus non esset: sic pecunia, gratia, facies miserabilis, vulnera, cicatrices, formæque pulcritudo movent nonnunquam animos, sententiam extorquent, & persuadent, nec tamen sunt Ars Rhetorica, quia non persuadent dicendo. Ita olim fecisse legitur Antonius, qui defendens Marcum Aquilium, cúm, scissa veste cicatrices, quas ille pro patria susceperat, ostendisset; populum Romanum vehementer commovit.

8. Dixi quinto, ad persuadendum; si quis enim ornatè diceret, & aptè, non tamen ad persuadendum, sed ad auditorum aures obtundendas (ut multi faciunt) quis hunc diceret Arte Rhetoricâ præditum?

9. DICO 2. Rhetorica duplex est: Naturalis una, altera Artificialis. Naturalis est facilitas quædam dicendi, quam aliqui habent inditam à natura: Artificialis est, quæ certis quibusdam præceptis comparatur, quam, favente Numine, Deiparáque integerrima, vos hoc anno docere aggredior, & de hac inpræsentiarum est sermo.

INSTRUCTIO II.

Solvuntur difficultates nonnullæ contra prædicta.

10. OBjicies primò: Rhetorica melius definiri videtur, dicendo, esse artem benè dicendi: ergo allata definitio est redundans.

11. Respondeo, negando antecedens: benè enim dicere competit etiam Grammatico requiritur igitur, quod præterea ornatè quis dicat, et sit Rhetoricus. Quod si velis, adverbium hoc, bo-

bonè, significare, aptè, & ornatè, quęstio erit de voce, nostráque definitio semper clarior.
12. Objicies secundò: Rhetorica definiri debet, Ars flexamina, id est, animos flectens: ergo nostra definitio non est optima.

13. Respondeo, nego antecedens: quia hoc competere etiam potest Logicæ, ut vocant, Utenti, quæ suis argumentis hominum animos vincit, flectítque, dum persuadet. Rhetorica igitur est, quæ argumentorum armis à Dialectica præstitis pugnat, illa ornans, suòque modo aptans ad persuadendum.

14. Objicies tertiò: prædicta definitio competit alteri à definito: ergo non est bona: Probas antecedens: competit Sophisticæ: sed Sophistica non est Rhetorica ex communi sententia ergo jam competit alteri à definito: Probas iterum majorem propositionem: nam Sophistica dicit ornatè, aptéque ad persuadendum: immò suis sæpe sophismatis, ac fallaciis ita fallit, ut persuadeat: ergo allata definitio competit Sophisticæ.

15. Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem nego majorem, & falsum omnino censendum arbitror, Sophisticę aptari posse nostram definitionem: nam Sophistica quamvis ornatè dicat, aptis tamen non utitur argumentis; & ipsius sophismata, atque fallaciæ, si funditus introspiciantur, facilè deteguntur, atque evitantur, ne animos capiant. Firmum sit igitur, quòd Sophistica, licèt ornatè verba faciat, non tamen aptè dicit ad persuadendum.

16. Objicies quartò: nostra definitio non hæ-

hæret omni definito, ergo refutanda est. Probas antecedens: quia non convenit Rhetoricę, quæ inveniretur in homine muto, qui dicendi facultate careret.

17. Respondeo, nego antecedens, ad cujus probationem dico: in muto non esse absolutè Rhetoricam perfectam, ut ita dicam, Utentem: hæc enim Ars quinque perficitur partibus, ut infrà videbimus, quarum una est Pronunciatio.

18. Objicies quinto: Rhetorica non est Ars, sed Scientia: ergo falsa definitio nostra.

19. Respondeo: nego antecedens: quod contra communem opinionem, ut luce ipsa clariùs patere potest legentibus Aristotelem, Tullium, Quintilianum, & Recentiores. Ars enim est, quæ docet suum perfici feliciter opus certis quibusdam præceptis: huiusmodi est Rhetorica: Ars igitur est. Quod autem non sit Scientia, evinco; quia scientia illa est, quæ suas deducit conclusiones ex principiis certis, & evidentibus: hujusmodi Rhetorica non est: quis igitur illam dicat esse Scientiam?

20. Objicies sexto: Antonius apud Ciceronem de Oratore negat, Rhetoricam esse Artem, & probat, quia Ars nulla fuit ante se ipsam; sed antequam inveniretur Rhetorica, homines nonnulli aptè, ornatéque dicebant: ergo, &c.

21. Respondeo: immeritò, id negari ab Antonio: ad cujus argumentum dico, quòd antequam inveniretur Rhetorica, homines aliqui aptè quidem, ornatéque dicebant ex natura, sed non habebantur certæ quædam regulæ, & infallibiles ad ita dicendum: quæ quidem regu-

gu-

gulæ deinde traditæ fuerunt in naturalinm rerum observatione fundatæ: sic ex observatione salubrium à natura artificialis medicina deinde reperta est.

22. Objicies septimò cum Lysia: nulla Ars fallitur: jam Rhetorica sępe fallitur ergo non est Ars.

23. Respondeo, distinguo majorem: nulla Ars fallitur circa ea, quæ pertinent ad se, concedo: circa alia, quæ ad ipsam minimè spectant, nego majorem: Sed Rhetorica sæpè fallitur, distinguo eodem modo minorem: in illis, quæ ad ipsam pertinent, nego: in aliis, esto minor: & deinde nego consequentiam. Rhetoricus esto fallatur qnandoque in aliis, falli tamen non potest in ordine ad aptè ornatéque dicendum, si Rhetoricæ præcepra fideliter servaverit.

24. Objicies octavò: nulla Ars est sibi contraria: jam Rhetorica est sibi contraria: igitur non est Ars.

25. Respondeo: nego minorem: quamvis enim sæpè Oratores contrarii eâdem utantur Arte, non indè tamen sibimet pugnare dicenda Rhetorica est. Sicuti Ars gladiatoria, & militaris neutiquam sibi contraria, & repugnans dicitur, quamvis hostibus regulas tradat invicem digladiandi.

26. Objicies nonò: Rhetorica non est utilis: igitnr Ars non est.

27. Respondeo, nego antecedens: quæ enim major utilitas, quàm homines ad bonam frugem revocare? perterritos milites ad bellum inflam-

flammare? Rempublicam oratione regere, ac confirmare? legum statuta populo persuadere? jam hæc omnia nonnè Rhetores feliciter assequuntur?

28. Instabis primò: Lacedæmones viri prudentissimi è Civitate olim Rhetoricos expulerunt, & Athenis orandi potestas penitùs est rescissa. Socrates præterea, & Plato vehementer in Rhetores ivehuntur, quòd eloquentiâ Reipublicæ quietem sæpè turbarint: Rhetorica igitur non est utilis.

29. Respondeo: id fecisse, quia fortè eâ tempestate, qui Rhetoricam exercebant, turbidi homines erant, & Reipublicæ perniciosi: hinc tamen non inferas ipsam Rhetoricam esse malam: sic non quia Medici, & Pharmacopolæ, vel Coqui venenis uterentur: vel quis arte militari injustè abuteretur: vel quis gladium ad turpe aliquod facinus perpetrandum educeret: non inquam, ideò Medica, Militarísque professio, vel Coquinaria, aut Ferraria Ars evaderet detestanda.

30. Instabis secundò: Athenæus Rhetoricam appellat fallendi Artem: & Rhetores vulgò vocari solent pręstigiatores: ergo Rhetorica non est utilis.

31. Respondeo, Athenæum loqui de Sophistica, vel de illis falsis Rheroricis, qui vel ad ingenii vanam jactantiam, vel ad m lam fallendi cupiditatem Rhetoricâ abuterentur, illam fallaciarum fuco adulterantes: qui propriè non Rhetorici, sed Rhetoricæ Corruptores, & ridiculæ Rhetorum larvæ diceudi sunt.

31. Nu-

3ù. Noto hic cum Patre Mendoza, quod licet Oratori nunquam mentiri liceat (quod Stoici, & Fabius turpiter affirmarunt) licet tamen quandoque Oratori in bona causa, & ad bonum finem dissimulare vera, levia attollere, sublimia, deprimere; quod non est fallere verbis, nec mentiri, nec alienum ab arte. Quod si aliquando sequatur èrror in auditoribus, id ipsorum imprudentiæ, & inconsiderationi tribuendum. Sic Pictores nonnunquam suæ artis vi fallunt oculos, ut Xeuxis, qui uvam depingens fefellit aves: & Parrhasius ipsum Artificem fefellit, putantem, linteolum expressum in tabula verum esse: quod si hunc oculorum errorem mentis error sequatur in hominibus picturas illas aspicientibus, id ipsis imputandum, qui cautiores esse deberent in imaginatione corrigenda.

INSTRUCTIO III.

Rhetoricæ munus, & finis.

33. DICO 1. Munus Oratoris, & veluti finis proximus, seu opus Rhetoricum est dicere ornatè, aptéque ad persuadendum; unde doceat, & flectat, & delectet oratio.

34. DICO 2. Finis ultimus Oratoris est, dicendo persuadere: quem finem etiam si quandoque non consequatur, si tamen ornatè, aptéque dixit ad persuadendum, bonus Orator dicendus est: quod idem dicimus de Medicis, & Naucleris ritè, quod ab se est, corpora, navésque gubernantibus, licèt, & moriatur ægrotus,

tus, & naufragium evitari nonnunquam minimè possit.

35. Objicies primò: non est perfectus pictor. E. G. qui finem artis pictoriæ non assequitur, qui nimirum imaginem non perficit, quam intendit: ergo non est perfectus Rhetoricus, qui id, quod intendit, auditoribus tandem non persuadet.

36. Respondeo, nego consequentiam: quia sicuti, ut quis nuncupetur bonus pictor, satis quidem est, si finem suum proximum assequatur, suum scilicet opus, quod est imago depicta: ita, ut sit bonus Rhetoricus, satis censendum est, si suum finem primarium, & proximum obtineat, opus scilicet Rhetoricum, quod est dicere ornatè, aptéque ad persuadendum: nec officit, si obstinatæ voluntatis vitio nihil prorsus evincat ab auditoribus: libero enim arbitrio solus DEUS Divinus Orator, & perfectissimus efficacissimam eamdemque suavissimam vim inferre potest.

INSTRUCTIO IV.

An vir malus possit esse bonus Orator.

37. DICO, posse virum malum, esse bonum, & perfectum Oratorem. Est contra complures, præsertim contra Patrem Mendoza in suo Viridario. Sic autem probo assertum: Potest vir malus esse perfectus Musicus, Medicus, Geometra, &c. ergo potest etiam esse perfectus Orator: nihil enim elucet, quare vir malus, si in bona causa, bonisque argumentis

suf-

suffultus, & munitus regulis Rhetoricæ utatur, ornatè, apteque dicere nequeat ad persuadendum. Et quidem scimus, homines quandoque alioqui perniciosos, & vitiis deturpatos, verbis animos flexisse, hominésque perditos ad bonam frugem revocasse. His profectò convenire posse videtur illud sacrorum Voluminum; *Omnia quæcumque dixerint vobis, facite; secundùm autem opera eorum nolite facere.*

38. Objicies primò: Communis opinio veterum erat, Oratorem esse virum bonum dicendi peritum; ergo Orator vir bonus sit oportet.

39. Respondeo, id communiter dici; quia Veteres dicendi magistri erant etiam passim bonorum morum institutores: quique elegantiæ artem ediscebat, vitæ etiam integritatem ab eodem edocebatur; malè tamen quis indè inferet, quòd Rhetorica absolutè, & necessariò naturâ suâ benè morigeratum exigat Oratorem.

40. Obijcies secundò: Vir malus non potest dicere aptè ad virtutis amorem persuadendum: ergò absolutè perfectus Orator esse nequit. Probas antecedens auctoritate Tull. de Orat. Lib. 2. dicentis, non posse Oratorem alios movere, nisi omnes ij motus, quos vult imprimere, instar sigilli in se impressi, ac inusti videantur.

41. Respondeo primò: Ciceronem non loqui strictè, & rigorosè: hoc enim est contre experientiam, qua videmus nos sæpè moveri ad compassionem, & mœrorem, etiam in tra-

prædiis, ubi scimus recitantium dolorem fictum solummodò esse, non verum. Tullii igitur mens est, virum aliquo affectu carentem difficile posse illum aliis imprimere, non autem absolutè non posse.

42. Respondeo secundò; Cicero dicit non posse Oratorem movere, nisi videantur in se impressi illi motus. Videantur, dicit, non autem, nisi verè in se sint impressi.

Non negaverim tamen, quòd sicut boni Oratoris mores valdè movent, ita mali mores à virtutis studio magnoperè animos retardent. Hinc tamen non fit, ut, quamvis difficilè, absolutè tamen non possit ornatè, aptéque dicere ad persuadendum.

43. Obijcies tertio: Cicero expresse docet, quòd si probitatis expertibus dicendi copiam tradiderimus, non quidem Oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus.

44. Respondeo: Ciceronem loqui modo oratorio, id est exaggerando: sicut etiam sæpè dicere solemus, hominem iratum belluam quidem esse, non hominem. Verum tamen est, Rhetoricam non nisi bonis, & morigeratis adolescentibus, virisque tradendam esse, ne scilicet ipsorum vitio ejus usus in Sophisticam degeneret, neve ad vitia, rumorésque populis persuadendos sub eloquentiæ larva, loquentià potiùs, aut loquacitate abutantur.

45. Queres, an Rhetor, Orator, Declamator idem sint.

46. Respondeo: passim confundi. Volunt tamen aliqui, quòd, si castigatè loqui velimus; Rhe-

Rhetor propriè dicendus Artis Oratoriæ magister: Orator, qui Oratoriam exercet, vel in concionibus, vel in causis agendis: Declamator, qui fictam causam agit, vel ut alios doceat, vel ut se exerceat.

INSTRUCTIO V.

Rhetoricæ Materia, seu Objectum.

47. DICO 1. Materia Rhetoricæ, quam aliqui Subjectum, sivè Objectum appellant, est res omnis, quæ in controversiam cadere potest, id est, cujus aliqua quæstio potest institui. Hæc autem quæstio, cùm infinita seu indeterminata est, dicitur Thesis: V. G. An expetenda sit sapientia: cùm autem finita seu determinata est, vocatur Hypothesis: V.G. An sit studendum linguis adolescenti hoc tempore, in hoc loco, sub hoc determinato Præceptore. Jam quotuplex esse possit quæstio, diximus in Progymnasmatis, ubi de Thesi.

48. DICO 2. Tria sunt dicendi genera, ad quæ reduci possit quælibet quæstio finita, seu causa; Deliberativum scilicet, Judiciale, exornativum seu Demonstrativum sive Epidicticum.

49. Deliberativum genus est, quod suasionem, vel dissuasionem amplectitur, & respicit tempus futurum; non enim suadentur, vel dissuadentur, nisi res gerendæ.

50. Judiciale est, quod alicujus accusationem, vel defensionem habet in judicio, seu ante Judicem, & respicit tempus tum præsens, tum præteritum; accusari enim, vel defendi possunt tum

ea, quæ jam gesta sunt, tum ea, quæ in præsentiarum geruntur.

51. Exornativum genus est, quod laudem, vel vituperationem continet, sed extra judicium, & respicit tempus præteritum simul, & præsens; tum enim res jam factæ, tum quæ fiunt, laudis, aut vituperii capaces sunt.

52. Objicies ex P. Pomey in suo Cand. Element. Rhet. cap. 4. Genus dicendi Judiciale respicit solum tempus præteritum, quamvis Exornativum tum ad præteritum, tum ad præsens tempus se extendat: igitur doctrina supra tradita corruit.

53. Respondeo, Genus Judiciale utrumque tempus respicere: cur enim ad solum præteritum coarctetur? Et fanè eo prorsus modo, quo per Pomey Genus Exornativum respicere potest tempus præteritum, & præsens, potest etiam Judiciale: nam si Auctoris hujúsce suffragio potest Petrus E. G. laudari, vel vituperari ob ea, quæ gessit jam, vel nunc gerit, cur idem non poterit ob eadem defendi, vel accusari. Profectò quamvis diversimodè puniatur delictum jam perfectum, & consummatum, ut ajunt, ac facinus solummodò inceptum, intentúmve; punitur tamen, saltem quandoque, præsertim si circa rem gravem, & Reipubl. perniciosam versetur.

IN-

INSTRUCTIO VI.

Quot, & quænam sint Rhetoricę Partes; Et quibus rebus Eloquentia acquitatur.

54. DICO 1. Quinque sunt Rhetoricæ partes, Inventio scilicet, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio, seu Actio. Primò enim invenire oportet, quid sit dicendum, & quibus argumentis firmandum: Secundò ea, quæ inventa sunt, rectè disponere, & collocare: Tertiò hæc omnia sermonis elegantiâ animare, & exprimere: Quartò Memoriæ mandare: Quintò venustè recitare. Nihil hic addo, de singulis enim fusiùs agendum suo loco.

55. DICO 2. Rhetorica quatuor potissimùm rebus, & veluti mediis, acquiritur, seu comparatur: Naturâ videlicet, Arte, Imitatione, Exercitatione.

Natura.

56. DICO 3. Natura dat in primis ad Inventionem ingenium acre: præstat, ad Dispositionem judicium, & prudentiam: suppeditat facundiam, & miram quandam ad mentis conceptus explicandos felicitatem ad Elocutionem: concedit facilitatem, tenacitatémque retinendi ad Memoriam: elargitur ad Actionem Linguæ aptitudinem, vocis suavitatem, leporémque in pronunciando, corporis agilitatem, atque dexteritatem in gestibus, laterum firmitatem, aptam totius corporis compositionem, &c.

Ars.

57 DICO 4, Ars est veluti Agricultura,

quæ agrum, naturâ suâ saltem mediocriter fertilem, perficit: quæque naturæ dona expolit, ac moderatur, necessaria supplet, amputat superflua.

58. DICO 5. Aliquod, non humile tamen, negligentiæ genus, præsertim in rebus quibusdam, atque observationibus parvi momenti, artificium quandoque est non exiguum: videtur enim Oratio solidæ formositatis secura, pulchritudini suæ non exhorrere labeculam, quia illam ex industria admittere (quæ non Reginæ Eloquentiæ solùm Ars est.) ut inde, tanquam è tenebris lux emicet gratiùs, seséque magis spectabilem reddat, neglectâ artificiosi ornatûs sollicitâ curâ, qua sępè solemus Naturæ vitiis succurrere, ejusque inopiam sublevare. Ita Ciampoli Musam, & Stylum labeculis nescio quibus inspersum excusat, immò commendat. P. Sfortia, qui fuit deindè Card. Pallavicinus, in Viudicationibus Soc. JESU cap. 19. ubi, Solis ipsius exemplo, non tanti esse, inquit, intaminatum splendere, quàm maculas, ipsas afluentiâ lucis exornare: & quidem id celsi ingenii esse, si Senecam audimus Epist. 111. (Cujuscunque orationem videris sollicitam, & politam, scito illum quoque non minùs esse pusillis occupatum. Magnus ille remissiùs loquitur, & securius, quæcunque dicit, plus habent fiduciæ, quàm curę) & paulo inferiùs (Non est ornamentum virile concinnitas) Hęc Pallavicinus.

Imitatio.

59. DICO 6. Imitatio ad artem comparandam

dam mirum quantum conducat: debemus igitur semper optimos auctores præmanibus habere, illorúmque vestigiis in hærere. Aliqui unicum sibi Auctorem, quem imitentur, proponunt, Tullium E. G. in soluta oratione, Virgilium in carmine contexendo, adeò ut piaculum arbitrentur ab hujus unius imitatione deflectere. Placet mihi aliquem præcipuè, quem imitemur, habere: displicet tamen in hoc ita esse religiosos, ac delicatos, ut errorem putemus, aliorum etiam non infimę notæ Auctorum exempla quandoque prosequi, & imitari. Hęc imitatio esset sine judicio, quam aliqui cum P. Payor Cacozelon appellant.

60. DICO 7. Capta occasione: Notandum circa Imitationem, plurimum interesse inter imitatorem, & furem: furari enim dedecet: imitari autem bonos auctores maximâ profecto dignum est laude, si tamen id fiat cum judicio, & apis in morem, quæ mel ab agrorum floribus innocenter furatur. Poterit igitur vel in meliorem formam reduci, quod ex calamo Auctoris, alioqui conspicui, non multum politè elaboratum quandoque diffluxit, vel fusè aliquid amplificari, quod ab Auctore incidenter fuit dictum, & illud veluti semen exiguum in arborem transformari. Libenter hoc loco, si per tempus liceret, multa proferrem, quæ hausit Virgilius ab Homero, & aliis Veteribus Græcis, & Latinis, Tassus ab ipso Virgilio, & Claudiano, Antonius Abbati ab Horatio, Juvenale, & aliis, &c. Legite, si vultis, Macrobium Saturnal. lib. 5. & 6. & post

Satyras Antonii Abbati indicem carminum, quæ à Poëtis latinis hausit, perfecitque.

Materiam hunc eruditè, & concinnè, more suo, tractat P. Daniel Bartoli in suo libello, cui titulus, Huomo di lettere, p. 2.

61. DICO 6. Septem insuper imitandi modos commendat P. Payot in Tyroc. Eloquen. lib. 1. cap. 2. qui omnes ad quinque sequentes reduci possunt: primò, cùm mutantur Auctoris verba, quem imitamur, sed sententia retinetur: secundò cùm mutatur quidem sententia, sed verbis invariatis: tertiò, cùm mutatâ sententiâ, & verbis, idem dicendi tenor, periodi structura, & sonus, aut eadem figura retinetur: quartò, cùm sensu, & verbis ferè iisdem servatis, aliquid venustatis adjungitur: quintò, cùm in diversa materia totam alicujus orationem imitamur eadem argumenta, dicendique modum sequendo. His adderem, sextò, cùm etiam mutatis omnibus, solum stylum, concisum E. G. periodatum, sententiosum, floridum, gravem, &c. servamus.

62. DICO 7. Peccant circa Imitationem plerique, Juniores præsertim Grammatistæ, qui cùm unum, aut alterum Auctorem vix benè legerint, nec dum, nisi primoribus auribus, hauserint à Præceptore prima Elo uentiæ rudimenta, illico omnem literarium Orbem proprii capitis angustiis circumscribuntur; ut quondam Sinenses, qui præter Sinarum Insulas, Orbis partem nullam esse pro certo habebant: utque olim Græci, quidquid græcum non esset, Barbarum, reputabant. Illi, si in quem fortè

Scri-

Scriptoris locum incidant, vel ab usu proprii Libelli, (quem unum norunt ' vel à proprii Præceptoris opinione in vocabulorum usu, orthographiâ, accentu, constructione remotum, hærent, frontem corrugant: ipsique Accusatores, Testes, & Judices, non solùm læse Majestatis oratoriæ, sed & patrati Barbarismi, Solæcismíque notas inurunt, mirandâ sanè, sed & ridendâ, ac puerili facilitate: Statim violatæ Grammaticæ reum damnant, si quis vel UTRUMQUE, non, UTRVNQUE; vel, LITTERAS, non LITERAS, vel, COQUUS, non, COCUS: vel NUMQUAM, non, NUNQUAM; vel, SYLVA, & non SILVA, &c. vel utroque modo indiscriminatim exararit: furunt ferarum in morem, si quis, vel, BELLUA, vel SOLLICITO, duplici l: vel alia id genus, contra ,psorum senrentiam scripserit.

63. Equidem usus in dicendo, vel scribendo varios, dummodo boni Scriptoris auctoritate comprobatos, indiscriminatim amplectantur, velim, mei Auditores à censuris abstineant, illius sententiæ memores: Qui facilè alios damnat, hunc vel nihil, vel ferè nihil legisse: qui plura legit, plura excusare, facilè damnare neminem, de omnibus dubitare. Legite doctissimum æquè Scrlptorem, ac prudentissimum, P. Bart. in suo, Non si può.

Exercitatio.

64. DICO 8. Exercitatio, id est, assiduus usus, consuetudôque dicendi stylum acuit, ingenium magis magïsque in dies excitat, memo-

moriam excolit, linguam vocem, corporísque totius motus valde aptat ad agendum.

INSTRUCTIO VII.

Celebres Oratores, & Rhetores.

65. DICO 1. Veteres digni, quorum quisque premat vestigia, è Græcis habiti sunt Demosthenes, Isocrates, Æschines; Divus Joannes Chrysostomus, Divus Gregorius Nazianzenus, & Divus Basilius.

66. E Latinis verò: Marcus Tullius Cicero Romanæ Eloquentiæ Princeps,

67. DICO 2. Non nullos etiam recentiores legendos prætereà esse, ut saltem ab illis discamus, quomodo Veteres imitemur.

68. Ut aliós innumeros prætermittam, minima nostra Societas JESU quamplures habuit, qui orationes in lucem ediderunt, imitatione quidem dignas (ut cujúsque ingenio arriserit) quamvìs enim non idem omnibus stylus, non mediocris tamen in singulis laus, & aliquid cuilibet singulare: Quorum aliqui sunt.

69. Bernardinus Stephonius, Dionysius Petavius, Emmanuel Thesaurus, Franciscus Bencius, Franciscus Remondus, Gabriel Cossartius, Hieronymus Nappius, Jacobus Masenius, Ignatius Bomplanus, Joannes Jahodę, Joan. Baptista Andrianus, Joan. Baptista Ferrarius, Joan. Baptista Giattinus, Joan. Franciscus Vavasseur, Joan. Guilielmus Calaveronus, Joan. Petrus Perpinianus, Julius Nigronius, Julius Cæsar Recupitus, Lævinus Sanderus, Leo Sanctius,

Leo-

Leonardus Cinnamus, Ludovicus Cellotius, Matthæus Ruffus, Michael Radau, Nicolaus Avancinus, Petrus Possinus, & coronidis loco Edmundus Campianus, qui non solùm Eloquentiæ laureâ, sed & fuso per manus Hæreticorum sanguine insignis enituit. Alios è nostro Cœtu Orationum Scriptores, Omni ferè idiomate, innumeros omitto. Consulite, si vobis arriserit, Bibliotecam Soc. JESU à P. Nathanaële Sotuello ad Annum Jubilæi 1675. deductam. Non infimænotæ Oratores, qui etsi sub nostræ Societatis Vexillo non militarint, illos tamen Nostrorum disciplina erudivit, vel saltem perfecit, recenset P. Sfortia in Vindicat. cap. 19.

70. DICO 3. Cum Laërtio, Aristotele, Cicerone, Quintiliano, primos Rhetoricæ Magistros, atque Scriptores, Siculos fuisse. Et quidem fuerunt Empedocles Agrigentinus, Corax Syracusanus, ejus discipulus Crisias seu Tisias Siracusanus, Gorgias Leontinus Magister Isocratis. Præterea Aristoteles Stagirita, Hermogenes Halicarnasseus, aliique innumeri, tandem Cicero Romanus, Quintilianus Hispanus, &c.

71. DICO 4. Præter exteros Recentiores, plures è nostra Societate, & quidem supra quadraginta, mirum sanè in modum Rhetoricę pręcepta posteris tradiderunt, quorum præcipuos censeo Aloysium Juglaris, qui hic Messanę obiit, cujus Ariadna, tenuis quidem libellus, numeris tamen omnibus absolutus, Franciscum Romanum, Civem Messanensem, Nicolaum Causinum, Josephum Ariaga, Cyprianum Soarium, Franciscum de Mendoza, Laurentium Lebrun,

 Jo-

Joannem Uvello, Carolum Payot, Francifcum Pomey, Michaelem Radau, Carolum Regium, Albertus de Albertis, Danielem Bartoli, qui Italico fermone varia tradit præcepta circa dicendi genus,& quidem non contemnenda, in fuo Homine literato. Atque hanc in Eloquentiæ Caftris Exercitationem inftituiffe, fit fatis.

RHE-

RHETORICI MILITIS ARMAMENTARIUM

SEU

DE INVENTIONE,

PRIMA RHETORICÆ PARTE.

INVENTIO, Rhetoricæ Armamentarium, ingentem machinarum, ac tormentorum aperit apparatum, unde idonea quisque, atque opportuna arma seligat, quibus tum Auditorum intellectus, tum Voluntas feliciter expugnetur. Duas de Inventione Exercitationes agam. Ex prima, quæ ad Intellectum, ex secunda, quæ ad Voluntatem expugnandam faciunt, arma eruemus.

EXERCITATIO PRIMA

INSTRUCTIO I.

Quid sit Inventio, Argumentum, Argumentatio.

1. DICO 1. Inventio est excogitatio rerum verarum; aut verisimilium, idest, argumen-

mentorum, quæ causam probabilem reddant. Hęc ratio, sive inventum ad fidem faciendam, vocatur á Logicis medium, seu medius terminus.

2. DICO 2. Argumentum est inventio ad faciendam fidem.

3. Duplicis generis esse potest Insitum scilicet sivè Intrinsecum, & Assumptum seu remotum aut Extrinsecum. Insitum argumentum est quod ipsi rei probandæ Intrinsecum est, & veluti ex ipsius visceribus eruitur: V. G. Rhetorica est expetenda, quia bona. Assumptum argumentum est, quod extrinsecus assumitur: V. G. Rhetorica est amplectenda, quia ita hominibus sapientissimis visum est.

4. DICO 3. Argumentatio est argumenti Tractatio, de qua infra dicemus suo loco: nunc de Argumentis.

INSTRUCTIO II.

Locis, unde depromantur Argumenta.

5. DICO 1. Topice seu Topica, sic dicta à verbo Græco τόπος, quod latinè dicitur Locus, unde è τοπικὴ Ars locorum; est Ars inveniendi argumenta: dicuntur enim loci Rhetorici, seu communes, quia ex illis, tanquam ex Armamentario, Rhetorici milites arma depromunt sua.

6. DICO 2. Definiri potest Locus Rehtoricus: Est id, unde argumentum aptum ad propositam quæstionem desumitur.

7. DICO 3. Loci Rhetorici duplicis generis sunt. Intrinseci scilicet, & Extrinseci: Intrin-

trinseci sunt, unde argumenta intrinseca, Extrinseci verò, unde extrinseca argumenta ducuntur, de quibus in sequentibus Instructionibus sermo erit.

INSTRUCTIO III.

De Locis Intrinsecis.

8. DICO: sexdecim sunt Loci Intrinseci seu Insiti: Definitio, Notatio, Partium Enumeratio, Conjugata, Genus, Species seu Forma, Similitudo, Dissimilitudo seu Differentia, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Causæ, Effecta, Comparatio.

9. De singulis, quoad breviùs fieri poterit, sine obscuritate tamen, agere promodulo meo conabor.

DE DEFINITIONE,

Primo Topicorum.

10. DICO 1. Definitio est oratio explicans naturam rei: Definitio constat genere, & differentiâ: Genus est, quod non solùm rei definitæ, sed aliis etiam convenit: Differentia est, quæ soli rei convenit, quam definimus. V. G. Rhetorica est Ars ornatè, aptéque, dicendi ad persuadendum. Ars est genus, quia convenit non solùm Artibus Liberalibus, sed & Mechanicis; Mechanicæ Artes, sunt Pictoria E. G. Ferraria, & aliæ serviles. Artes Liberales, præter Rhetoricam, sunt Musica, Aritmetica, Astrolo-

logia, Geometria, Grammatica, Dialectica si tamen hæ propriè, & absolutè Artes dici possunt.

11 DICO 2. Valet Definitio ad rem probandam, amplificandam, & quandoque ad inveniendum totius orationis argumentum.

12. DICO 3. Ejus usus est E. G. Ars benè, ornatéque dicendi ad persuadendum, est expetenda: Rhetorica talis est: igitur Rhetoriea est expetenda: Vel: Homo est animal. rationale: arbor non est rationalis: arbor igitur non est Homo.

13. DICO 4. Rhetores non procedunt circa Definitiones philosophico rigore, ac brevitate: adeóque ad Definitionem reducunt etiam Descriptiones rei, quæ fieri possunt per Causas, per Effectus, per Adjuncta, per Negationem, per similitudinem, pes Synonymiam, per Comparationem, per Ironiam, per Definitiones conglobatas, &c. Legite, quæ diximus in Progymnasmatis de Descriptione.

DE NOTATIONE,

Secundo Topicorum.

14. DICO 1. Notatio seu Etymologia est, quæ circa vocabuli originem, & significationem versatur: V. G. Consul est, qui Reipublicæ consulit: Piso igitur, qui Reipublicæ non consulit, quo jure Consul dicendus erit?

16. DICO 2. Utuntur Notatione Oratores præcipuè ad carpendam, irridendum, vel jocan-

candum. Sic Cicero Verrem mordet, nunc à Verrendo, quòd scilicet Siculorum bona furando verreret: nunc à Porco non castrato, qui dicitur Verres.

16. DICO 3. Si ex hoc loco aliquid vis confirmare, dic, convenire persæpe rebus sua nomina. G. Diva Agnes purissima quidem Dei Agni Sponsa, cujus ne nomen ipsum pudoris; ac laudis expers, ut inquit Divus Ambrosius. Si autem velìs hujus loci vim infringere, dic, nomina quandoque non consilio, sed casu, & fortunâ imponi, immò sæpe per Antiphrasim: sic Diva Barbara Virgo Martyr mitissima barbarum nomen sortita est: sicut etiam Nemus umbrosum, & obscurum Lucum dicimus: Mortem, quæ nulli parcit Parcam nuncupamus: Prælium, quod fœdissimum est, Bellum appellamus: & Hetrusci Nundinas, quæ res pulcherrima sunt, & delectabilis, appellant, Fiera.

17. DICO 4. Notario præbet quandoque totius orationis argumentum, quam nos Inventionem dicimus. V. G. Si quis Divam Agatham, Achatem gemmam esse contendat: Divum Laurentium, Laurum triumphalem: Divum Stephanum, Coronam: Divum Ignatium, Ignem: Divum Fulgentium, Fulgur, &c.

18. DICO 5. Ad Notationem reducuntur lusus omnes, qui circa vocabulum, & literas vocem ipsam componentes, fieri solent: cujusmodi sunt Anagrammata, cùm scilicet literarum ordine commutato, & inverso, aliquid indè oritur aptum ad intentum nostrum V.G.

JE-

JESUS Anagr. VISES.

Vel:

JESU PUER Anagr. VERE PIUS.

Sed de Anagrammatis agendum suo loco.

19. Huc etiam reducuntur verba æquivoca, verborúmque interpretationes: V. G. Calvinus, Calens vino. Luterus, Luteus, Pręterea vocum divisiones: V. G. Tertullianus fuit Ter--- Tullianus. Demum nominum Analysis seu Resolutio, cùm nimirum literæ omnes separantur, & cuíque sua vox specialis assignatur: V. G.

M A R I A

MESSANENSIUM ARBITRA RERUM, JESUS ALTRIX.

De partium Enumeratione.

Tertio Topicorum.

20. DICO 1. Partium Enumeratio est oratio, quæ totum in suas partes distribuit: V. G. Hominem in Animam, & Corpus: Annum in Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem: Animal in Ratione præditum, & Rationis expers, Domum in tectum, Parietes, Pavimentum, &c

21. DICO 2. Hujus loci usus hic est: V. G. Omnes Messanæ Urbis partes admirationem excitant. Quis mare, portum, theatrum, silvas, agros, fontes, palatia Messanæ non admiretur? Tota igitur Urbs Mamertina admi-

ta-

rabilis eſt. Vel contra: Petrus E. G. non ſcientiis, non artibus liberalibus, vel ſervilibus ſtudet: nullum igitur ſtudium exercet.

22. DICO 3. Cavendum in Enumeratione partium, ne pars aliqua præcipua omittatur, vel aliqua pluries repetatur, vel nimiùm temporis ad unam deſcribendam inſumatur cum partium cæterarum invidia, niſi fortè aliæ partes laudum ſteriles omnino eſſent, ſed tunc poſſemus uti alio loco.

DE CONIUGATIS,

Quarto Topicorum.

23. DICO 1. Notationi affinia ſunt Conjugata, quæ ſcilicet plurium nominum originem, & derivationem quærunt: ſeu ab uno orta vocabulo, variè implectuntur, & commutantur: V. G. Homo, humanitas, humaniores literæ &c. Aurum, Aureus, Aurifex.

24. DICO 2. Uſus Conjugatorum ſimilis eſt uſui Notationis. Sic contra hominem ferum arguere poteris hoc modo: Humanus non es, ergo non es homo: contra ſceleſtum Chriſtianum: Chriſti veſtigia non premis: Chriſtianus igitur non es. Cicero Conjugatis uſus eſt contra Verrem, cùm illum vocavit Aſtrologum, qui tamen non Aſtrorum Cæli, ſed Cælati argenti rationem duceret.

25. DICO 3. Aliqua, quæ Conjugata videntur, talia quandoque non ſunt, ſed potiùs abjugata: nam quamvis vocem ſimilem habeant, in ſignificatione tamen, immane quantum diſcrepant!

pant! V. G. Somnus bona res eſt, ſomniculoſum tamen eſſe, turpiſſima.

DE GENERE,

Quinto Topicorum.

26. DICO 1. Genus eſt quoddam totum plures ſub ſe partes continens, quæ in aliquo communi ſimiles ſint, ſpecie tamen differant: V. G. Homo dicitur animal rationale; animal eſt genus, quia competit etiam leoni, equo, urſo, &c.

27. DICO 2. Uſus Generis eſt hic: E. G. Virtus amabilis eſt: Modeſtia eſt virtus: igitur modeſtia eſt amabilis. Siculi ſunt ingenioſi: Mamertini ſunt Siculi: ergo ingenioſi: Quia quidquid competit Generi, competit etiam Speciei, quæ Genus in ſe continet. Uti poſſumus Genere hoc alio modo: Lapis non eſt animal: ergo non eſt homo, non eſt equus, non eſt leo, non eſt avis &c.

28. DICO 3. Non valere argumentum à Genere ad Speciem probandam: V. G. non valet: hoc eſt animal: ergò eſt equus: nam poteſt eſſe animal, & eſſe homo, vel leo, vel avis, & non equus.

DE SPECIE SEU FORMA,

Sexto Topicorum.

DICO 1. Species, ſeu Forma eſt pars, quæ continetur ſub genere, & ſub ſe individua ſolo numero diverſa continere ſolet: V. G. Homo

mo est sub genere, quod est animal, & continens sub se plura individua, Petrum scilicet, Paulum, Cæsarem, & ideo Homo dicitur Species.

30. DICO 2. Usus speciei est: E. G. hæc est laurus: ergo est arbor; hic est flos: ergo vel rosa, vel lilium, vel gelsiminum, vel granadilla; vel ranunculus, vel alius flos. Possumus etiam argumentari per Speciem: Lapis non est homo, neque brutum: ergo non est animal.

31. DICO 3. Valet argumentum a Specie ad Genus inferendum: V. G. Petrus est homo: ergo est animal. Non tamen valet hic alius inferendi modus: hic non est Petrus: ergo non est homo: quia potest esse homo, & tamen non esse Petrus, sed Cæsar, Marcellus.

DE SIMILITUDINE,

Septimo Topicorum.

32. DICO 1. Simititudo est collatio duorum, vel plurium, quæ licet alioqui differunt, conveniunt tamen in hoc, quòd; ut umbra, sic etiam gloria appetitores sui deserens, sequitur contemptores. Unde differunt Similia, & Paria: similia enim tantùm in aliquo conveniunt: paria tamen seu æqualia prorsus cohærent.

33. DICO 2. Usus Similitudinis est E. G Sine clavo, atque anchora perditur navis in tempestate: ergo & sine fide corruit omnis Respublica. Vel sicut parva scintilla magnum sæpe incendium excitat: sic breve quandoque verbum, bello excitato, integras domos, familias, urbes extinxit.

34. DICO 3. Ad Similitudinem reducuntur Fabulę, Parabolæ, Comparationes. Cavendum tamen, ne Similitudines nimiæ sint, & nimis prolixæ: ne auditorum captum excedentes: ne inter res omnino improportionatas: ne nimiùm ridiculæ: ne sordidę, aut obscœnæ, præsertim ad res divinas, & sacras exprimendas, ut: si quis Mariam integerrimam Veneri comparaat, aut puerum JESUM Cupidini.

DE DISSIMILITUDINE,

Octavo Topicorum.

35. DICO 1. Dissimilitudo, seu Differentia est duorum, vel plurium diversitas aliqua seu disconvenientia V. G. inter Cycnum, & Aquilam; Leonem, & Leporem.

36. DICO 2. Procedit Dissimilitudo ut Similitudo, sed ferè semper negando: V. G. Formica suis rebus consulit: homo verò res negligit suas.

37. DICO 3. Notandum, quòd, si res aliqua non competit uni dissimili, ut dissimile est, alteri competat, necesse est: Vel si uni competit, alteri non competat, oportet, V. G. licet Grammatico Rhetorum phaleras in oratione negligere: dedecet ergo Rhetorem: vel non competit Rhetorico, nisi vocibus uti delectis, atque elegantibus; id igitur simplici Grammatico permitti potest.

DE

DE CONTRARIIS,

Nono Topicorum.

38. DICO 1. Contraria, five Oppofita, generatim loquendo, funt, quæ eidem rei fimul convenire non poffunt circa idem: V.G. Petrus non poteft effe bonus fimul, & malus; calidus; & frigidus; niger, & albus in eadem parte.

39. DICO 2. Oppofita quadruplicis generis effe poffunt: primò alia funt adverfa, quæ fcilicet fub eodem genere pofita plurimum difcrepant: V. G. Album, & nigrum, quæ funt fub eodem genere, nempe colore: quorum ufus eft: V. G. fi vitium fugimus, virtutem fequamur.

40, Secundo alia funt Privantia, quorum fcilicet unum formam aliquam habitumque fignificat, alterum ejufdem formæ privationem, ut vifus, & cecitas Horum ufus eft V. G. fi Cæcus Clodius fuit, non ergo videns tunc extitit.

41. Tertiò alia funt Relativa, quæ fcilicet inter fe comparantur, ut pater, & filius; dominus, & fervus; magifter, & difcipulis; dux, & miles. Horum ufus eft: V. G. Cæfar dux eft: ergo milites habet: vel Rhetoricæ difcipulus eft Petrus: ergo non eft in eadem arte magifter.

42. Quarto denique alia funt Negantia, feu Contradicentia, quorum unum affirmat, alterum negat: E. G. Studens, non Studens; Eft lux, non eft lux.

43. DI-

43. DICO 3. Tripliciter adhiberi possunt Contraria, seu Opposita: Primò ita, ut singulis contrariis contraria subjiciantur, & verbum verbo contradicat: V. G. ex Cic. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus.

44. Secundò ita, ut singulis membris membra contraria respondeant: V. G. ex P. Lebrun: Olim in desertas solitudines Christiani sese conferebant ad comprecandum: nunc ex agris in urbes frequentes commigrant ad comessandam: olim egenorum inopiæ, erogatis facultatibus, serviebant; nunc detractis per nefas tenuiorum exuviis locupletati, dominantur.

45. Tertiò ita, ut periodus integra integræ periodo pugnet: V. G. Sapientia urbium, regnorùmque triumphatrix omnium amorem excitat, ac supercilia, ut ipsas etiam belluas sapientibus plaudere, ipsorúmque doctrinam, atque eruditionem admirari dicas: contrà verò fæx rerum, humaníque generis dedecus, ac labes inscitia, omnium risus, cachinnósque ad se trahit, adeò ut ipsa etiam bruta rationis expertia ignarum hominem, seu meliùs stipitem jure quidem optimo contemnere videantur.

DE REPUGNANTIBUS,

Decimo Topicorum.

46. DICO 1. Repugnantia seu Dissentanea sunt, quæ nullâ certâ lege, nullóque numero præfixo inter se differunt; seu clariùs: Repugnantia sunt contrariorum consequentia, seu,

seu, quæ ex contrariis oriuntur. V. G. Amor, & Odium sunt Repugnantia amori: V, G. non salutare, nocere, metuere, injuriis afficere.

47. DICO 2. Usus Repugnantium est E. G. Petrus timet Paulum, & timetur ab illo: ergo non sunt amici: quis enim eum diligat, quem timet, aut à quo se metui putat?

48. DICO 3. Valet argumentum ab affirmatione unius repugnantis ad alterius negationem: V. G. Petrus amat Paulum ergo illum non timet, non afficit injuriis, &c. Non verò valet semper â negatione uniu repugnantis ad affirmationem alterius. E. G. non valet. Petrus non afficit injurjs Cæsarem, non metuit: ergo illum amat: Petrus enim, dum dormit, Cæsarem non amat, nec tamen tunc afficit illum injuriis, aut metuit.

DE ADJUNCTIS.

Undecimo Topicorum.

49. DICO 1 Adjuncta sive Attributa, quæ vulgò Circumstantiæ appellantur, sunt ea, quæ cum re sunt conjuncta, sed non necessariò. Jam Adjuncta alia sunt rerum, alia personarum: rerum Adjuncta sunt, quæ sæpiùs diximus illo versiculo contineri.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Adjuncta personarum sunt bona vel animi, vel corporis, vel fortunæ; & illis opposita, de quibus diximus in Progymnasmate Octavo de Laude.

50. DICO 2. Usus Adjunctorum est, E. G. Adolescens hic Rhetoricæ studio totus deditus

est, potiorem diei partem studendo consumit, in gymnasio nunquàm desideratur: urbanitatis prototypus extat absolutissimus: perditorum adolescentum consuetudinem, ut pestem, evitat, ac fugit: hic igitur virtutem colit, & bonos mores.

51. DICO 3. Adjuncta, quæ rem quidem probabiliter inferunt, non tamen necessariò, si plura simul coacervantur, multum roboris habent ad suspicionem non levem fundandam, V. G. Si quæratur; quisnam Petrum occiderit: & Cæsar rubore statim perfundatur, timere nimiùm ostendat, gladium abscondere conetur, & Petro jam fuisse inimicum sciamus; prudenter suspicari poterimus, quod ille Petro necem intulerit. Sed in Adjunctorum usu multo sale opus est, ut scilicet, quæ nobis favent, depromamus, quæ contra nos faciunt, omittamus.

DE ANTECEDENTIBUS, ET CONSEQUENTIBUS.

Duodecimo, & Decimotertio Topicorum.

52. DICO 1. Antecedentia sunt ex Cicerone, quæ rem necessariò antecedunt. V. G. Pueritia necessariò præcedit adolescentiam. Consequentia sunt, quæ rem necessariò consequuntur: V. G. Dies necessariò sequitur Ortum Solis.

53. 2. Antecedentium usus est E. G. hæc arbor nunquam floruit: ergo nunquam fructus edidit: Vel, hic vulneratus est in corde: ergo morietur. Consequentium usus est E. G. ex Cicero-

cerone in Antonium: hic magnam habet cicatricem: ergo ingens vulnus accepit: Vel, dies non est, ergo nondum ortus est Sol.

54. DICO 3. Antecedentia, & Consequentia maximè conducunt ad aliquid subtiliter investigandum. Hæc differunt quidem ab Adjunctis, quia Adjuncta non necessariò coniunguntur cum re, quam comitari solent: Antecedentia verò, & Consequentia necessariò conjunguntur.

DE CAUSIS.

Decimoquarto Topicorum.

55. DICO 1. Causa est, ex Cicerone, quæ suâ vi aliquid efficit. Seu, ex Patre Radau, est id, à quo aliquid quomodocúmque procedit, neque enim philosophico rigore Rhetores definiunt. Quatuor autem sunt Causarnm genera: alia enim est Causa Efficiens, alia Materialis, alia Formalis, Finalis alia.

56. Causa Efficiens est, quæ aliquid facit, vel unde actio proficiscitur: V. G. Sol est Causa efficiens lucis, arbor fructuum, artifex sui operis.

57. Causa Materialis est materia, ex qua, in qua, vel circa quam aliquid fit, sive à natura, sive ab arte: V. G. Calix fit ex auro, pictura in tela, corpus hominis materia vulgò dicitur: & Mæcenatis laudes, carminis materia.

58. Causa formalis est forma per quam res quæcunque est id, quod est, & à rebus aliis maximè secluditur seu distinguitur: quæ forma vel essentialis esse potest, ut animus in homine; vel accidentalis seu adiacens, ut figura corporis.

59. Causa tandem Finalis est finis, cujus gratia aliquid fit, qui quamvis ultimus acquiratur, primus tamen est, qui animum impellit ad operandum: V. G. Pharmacum sumo, ut sanitatem recuperem: sanitas dicitur finis.

60. DICO 2. Causæ efficientis usus est, E. G. ad ignem hic propetat: ergo calorem vult experiri. Vel, nullus fuit Artifex extra Messanam, qui Calicem aureū, quē nuper aspexi, planè mirabilem, efficeret: ergo opus illud non nisi Messanæ fuit elaboratum.

61. Causæ Materialis usus est, E. G. ferrum habemus: gladium igitur construere possumus. Vel, lapidem, calcémque, aut quid simile ad ædificinm aptum non habes: domum igitur fabricare non poteris.

62. Causæ Formalis usus est. V. G. Petrus est animâ rationali præditus: ergò est Homo. Vel, lignum est rationis expers: non igitur sapit.

63. Causæ finalis usus est E. G. si vis sapientiam acquirere, studii labores, prosequere. Vel, ad eloquentiam, & eruditionem aspiras? voluptates igitur sunt tibi omittendæ. Vel, finis nullus potuit Petrum movere, ut Paulum occideret: ergo ille hunc non occidit.

64. DICO 3. Cùm aliquid laudatur, vel describitur, causæ omnes plerumque adhiberi solent ab Auctoribus. Itaque, si velis Aram Deiparæ in hâc majore Basilicâ Messanensi dicatam describere, dicere poteris, Causam Efficientem, Viros egregios, qui operi præsunt, ejusdem Artifices peritissimos; Materiam, marmor, parietes, lapides, gemmas pretiosas; Formam,

ope-

operis elegantiam, miram sculpturam, partiúmque proportionem; Finem, cultum Deiparæ.

DE EFFECTIS.

Decimoquinto Topicorum.

65. DICO Effecta sunt quæ oriuntur ex causis. Horum usus idem est, ac Causarum: E. G. lux est: ergo Sol ortus est. Poculum in terram ruens, subitò frangitur: non igitur erat ex corio. Pila volubilis est: ergo rotunda: vel, ægrotus medicum accersere jubet, pharmaca sumit: ergo è morbo vult convalescere.

DE COMPARATIONE.

Decimosexto Topicorum.

66. HIc de Comparatione non agam: de ea enim satis diximus in Progymnasmatis. Unum addam, huc scilicet reduci posse argumentum, quod vocant, ab Impossibili, quod semper Comparationem includit, arduam tamen, & impossibilem. Exemplum habetis apud Virgilium Ecloga prima.

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces.
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

INSTRUCTIO IV.

De Locis Extrinsecis.

67. DICO, Locos Extrinsecos seu remotos sive assumptos sex esse, Præjudicia, Famam, seu Rumorem, Tormenta, Tabulas, Jusjurandum, Testes. Quæ quidem omnia ad testimonium reducuntur: testimonium enim est omne, quod ab aliqua re extrinseca sumitur ad fidem faciendam.

De Præjudiciis.

68. DICO. Præjudicia sunt sententiæ latæ de re, quam agimus. Horum usus est E. G. ex Cicerone: Judices Fabritii libertum damnarũt, quia minister in maleficio fuerat: jure igitur Oppianicum damnarunt, principem sceleris, & architectum. Si vis hunc locum repellere, dic vel minimè latam esse sententiam, vel non nisi immeritò; vel diversam fuisse causam.

De Fama.

60. DICO: Fama seu Rumor est sermo dispersus in vulgus sine ullo certo Auctore.

Si aliquid affirmas, uteris hoc loco sic: Hic reus est, quia ita fama vulgavit: jure igitur puniendus. Si verò aliquid negas, dic famam solere nonnunquam res etiam falsas afferre: de qua ait Virgilius.

Tam ficti, parvìque tenax, quàm nuntia veri.

De Tormentis.

70. DICO 1. Tormenta sunt Supplicia, quibus veritas extorquetur. Si accusas, dices, Petrum E. G. verê reum esse, quia excruciatus con-

confeſſus eſt. Si excuſas, dices, illum reum non eſſe, vel quia nihil confeſſus eſt, vel quòd, ſi aliquid expreſſit, dolor falſum crimen excuſſit ab ejus ore; iuxta vulgare illud proloquium: Mentitur in carcere, qui poteſt dolorem pati, mentitur quoque, qui dolorem pati non poteſt.

De Tabulis.

71. DICO: Veterum Tabulas, nunc Scripturas vocamus, in quibus continentur facta, ſeu conventa, contractus, teſtamenta, codicilli, & cætera hujſmodi. Si vis Tabulis uti ad aliquid evincendum, illarum auctoritatem, utpotè publicam, exaggera. Si verò vis illarum fidem repellere, dic, illas inhoneſtum, aut injuſtum quid præſeferre, non cohærere cum aliis ſcripturis etiam publicis: repugnantia continere: tempora, locos, perſonas minimè congruere: metu, vi, dolo extortas fuiſſe: auctorem, tabellionem, actuarium, quem nos Notarium appellamus, ſolitum ſimilia facere.

De Jurejurando.

72. DICO 1. Jusjurandum ſeu Sacramentum, quod nos Juramentum dicimus, eſt affirmatio, vel negatio cum invocatione tacita, vel expreſſa DEI, tanquam primæ, & infallibilis veritatis.

73. Dixi, Tacita, vel expreſſa, quando enim juratur per Sanctos, & creaturas, in quibus DEI bonitas ſpecialiter elucet, cujuſmodi ſunt Evangelia, Cælum, Sol Terra, Templum, Crux, Altare, &c. tunc implicitè Numinis ipſius fides invocatur.

74. DICO 2. Si vis ex hoc loco ſumere

argumentum, dicas; aliqui jurejurando affirmant Petrum à Cæsare occisum esse: ergò verè ita accidit. Si verò vis argumentum à jurejurando infirmare, dicas, eum, qui jurat, hominem esse irreligiosum, nullâ morum integritate conspicuum, solitum pejerare, vel metu, vel vi, vel pecuniæ cupiditate, vel amicitiâ, vel propinquitate, vel mali consuetudiue coactum,

De Testibus.

75. DICO: Testimonium duplex est divinum scilicet, & humanum: Testimonium divinum est, quod à DEO sumitur: humanum vero, quod ab hominibus. Testimonia divina erant apud Gentiles superstitiosos Oracula, Auspicia, Vaticinatio, Haruspicia, Conjecturæ ex somniis: apud nos divina Testimonia sunt DEI Optimi Maximi Oracula, Sacræ Literæ Angelorum nuncia, Apostolicæ traditiones, Consensus universalis Ecclesiæ, Summorum Pontificum decreta, Conciliorum, præsertim generalium, ordinationes, & instituta.

76. Huc reducuntur spectra, seu monstra, seu signa, portenta, prodigià, aliàque divinitus oblata, quæque vulgò miracula nuncupantur, aut visiones. Sed in his omnibus maximè cauti esse debemus, nec prudentiæ nostræ fidendum est, ne puerorum, aut muliercularum ritu delusi, in errorum voraginem incidamus.

77. DICO 2. Humana Testimonia sunt, quæ ab homine exprimuntur voce, vel scripto, vel re æquivalenti; & multum ponderis habent, si auctor sit probus, & fide dignus.

78. Huc

78. Huc reducuntur auctoritates sed sententiæ Patrum, Doctorum, Theologorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poëtarum, Virorum illustrium.

79: Huc etiam pertinent exempla, adagia, apophthegmata, symbola, seu hieroglyphica, ænigmata, aliáque id genus ex Veterum libris, aut moribus erudita.

8. DICO 3. Testes dicuntur, qui Testimonium faciunt de re aliqua. Qui utitur Testibus, eorum integritatem, fidem, religionem ostendat. Qui illos repellit, prædicta omnia, quo ad fieri potest, extenuet, addendo præterea Testem reo familiarem esse, vel propinquum.

81. Hæc de locis. Notandum tamen illos similes esse elementariis literis Alphabeti, quibus vox omnis contexitur: non tamen ita, ut omnes literæ singulas voces componant.

EXERCITATIO II.

De inventione, in Ordine ad Affectus movendos.

1. PRæcipuus Eloquentiæ triumphus est Affectuum excitatio. Arma, id est, argumenta, quæ hactenus inventio suppeditavit ad Intellectum vincendum, inserviunt etiam ad Voluntatem expugnandam, quæ, cùm sit potentia quædam, ut ajunt, cæca, Intellectum sequitur veluti præeuntem; qui si rem aliquam bonam esse ostenderit Voluntati, hæc illico rem illam amplectitur. Aliqua igitur præcipua,

brevissimè tamen; subjiciemus præcepta circa Affectuum motus feliciter excitandos.

INSTRUCTIO I.

Observationes ex parte Oratoris, in ordine ad affectus movendos.

1. DICO 1. Orator, ut faciliùs persuadeat, affectum, quem vult aliis imprimere, in se priùs excitet, vel saltem excitatum ostendat; probus sit, & sapiens, vel saltem talis appareat; benè affectus erga auditores, illorùmque urbem, & mores.

3. DICO 2. Multum confert ad affectus movendos ætas matura, conditio non contemnenda, modestia, & verecundia in dicendo, vultûs humanitas; corporísque totius amabilis quædam, sed gravis, compositio.

4. DICO 3. Cavendum, ne in carpendo, & accusando, sese nimis litigiosum, arrogantem, aut jactabundum præseferat: neve, cum vult affectum movere, stylum nimis elaboratum affectet, & argutiarum frequentiâ, ac nimiâ argumentorum congerie affectum omnem extinguat potiùs, quàm inflammet.

INSTRUCTIO II.

Observationes ex parte Auditorum in ordine ad Affectus excitandos.

5. DICO 1. Ut faciliùs excitare possis affectum, considerari oportet personarum, apud quas agis, conditiones; ut videns, ad

ad quos affectus magis sint proclives, animorum arcem ex parte deb:liore aggrediaris, & vincas: nam maximus esset error, si quis ad auditores orationem haberet ab illorum natura, ingenióque longè alienam. Considerandα est igitur in auditoribus.

Primò Educatio:

6. Non facilè personam impelles ad ea, quibus assueta jam diù fuit, & proclivis, & contra torrentem frustra niteris reluctari.

Secundò Ætas:

7. Nam Pueri, & Adolescentes voluptatibus maximè capi solent, Omnia aggrediuntur, sed cessant facilè; plerumque enim sunt inconstantes; rerum omnium, quæ ad animi relaxationem faciunt, risus jocorum, facetiarum studiosi: ad iram proclives, impatientes, gloriabundi: pecuniam contemnunt: sunt verecundi, misericordes: &, quoniam pleni spè vivunt, aliósque suâ metiri solent innocentiâ, facile est eos decipere.

8. Juvenes ad iras, amores, gaudia putantur procliviores. Viri ætate media, & matura, in affectibus temperati, fortitudinem amant, atque constantiam: non omnium timentes, nec valde fidentes sunt: non omnibus credunt, nec omnibus fidem derogant: rem verò ex veritate passim existimant, & non nisi rationum pondere facilè capiuntur.

9. Senes difficiliùs moventur: & spectatâ naturæ vi, malevoli esse solent, cunctáque semper in deteriorem partem accipientes: non valdè diligunt, nec multum amant, loquaces,

avari, queruli, quietis, pacîsque amatores, misericordes: rerum suarum, actique temporis laudatores, timidi, morosi, &c.

Tertiò Sexus.

10. Mulieres enim facilè moventur, ad lacrymas præsertim, commiserationem, amorem, iracundiam, timiditatem: affectusque servant tenacius; sicut enim, quoniam cognitionis acie non multum penetrant, rationibus obluctantur, ita, & opinioni semel impressæ inhærent tenacius.

Quartò Indoles.

11. Nam plerunque filii parentibus similes, & quandoque nutricibus, & domesticis educari solent.

Quintò Corporis Constitutio, & Habitudo.

11. Alia enim affectus in ægrotis, alii in sanis facilè excitantur. Præterea biliosi ad iram, phlematici ad lenitatem, sanguinei ad voluptatem, melancolici ad mœrorem proclives esse solent.

Sextò Tempus.

13. Nam, mutatis temporum circumstantiis, mutantur sæpius affectus: alii enim affectus regnant tempore bacchanaliorum, alii diebus jejunio solenni quadraginta dierum sacris, alii dum pace fruitur Civitas, alii dum belli strepitu perturbatur.

Septimò Personarum Conditio.

14. Nonnunquam enim status, ac fortuna animos variat: cum nonnulli, dum privatam agunt vitam, vel pauperie cruciantur, urbanissimi sint, iidem tamen ad dignitatem evecti, for-

fortunam mutent, & mores; quod præsertim hominibus obscuro loco natis vitium insidet. Utque aliquid de singulis dicamus.

Nobiles.

15. Gloriæ desiderio flagrant: abjectos homines despiciunt: eos maximè contemnunt, quod ad dignitatis apicem noviter ascendisse vident. Generosi esse solent, humani, mites, delicati, ingeniosi, faceti.

Divites.

16. Contumeliosi esse consueveruns in bonos, superbi, molles, & nimiûm delicati: divitiarum ostentatores, omnino intolerabiles, & passim vitiorum etiam divites, & quidem deteriores sæpè videntur, qui nuper facti sunt divites. quàm qui divitias a majoribus acceperunt, ut notant Aristoteles, Cicero, & alii.

Ignobiles.

17. Seu Vulgus, ex Platone, bellua sunt, & quidem multorum capitum. Xenophon vulgus appellat Ingratum, crudele, invidum, imperitum, mobile, seditiosum, rerum novarum cupidum, quieti adversum, quódque aut servit humiliùs, aut superbiùs dominatur.

Pauperes.

18. Iracundi passim esse solent, animi abjecti, patientes, iuvidi, detractores, desidiosi.

19. DICO 2. His consideratis, facilem esse affectuum concitandorum praxim: nam, Si velis E. G. ad peccati fugam nobiles, aur divites impellere; dic, id apprimè gloriosum esse: Si ignobiles, pauperésque velis movere; dic, id maximo emolumento futurum: Si ado-

lescen-

lescentes vis concitare; dic maximam animi relaxationem in hac fuga inveniri: Si juvenes certas convincere; dic peccati strages, dolos, fraudésque, ut iram erga illud excites: Si viros maturos vis ad fugam hanc inflammare; dic, peccati fugam fortitudinis, atque constantiæ signum esse, & valde congruere rationi: Si ad senes verba facis; dic, elapsi temporis homines peccati fugâ gloriam sibi peperisse: & in præsentis ætatis homines veterum minimè imitatores querimonias deflecte: tandem si mulieres vis ad eandem peccati fugam impellere; excita commiserationem erga animorum vulnera, quæ peccatum infligit: excita amorem erga amabilis Jesu dulcedinem, ac pulchritudinem, qui mirum, quantum ob peccati commissi facinus indignetur.

INSTRUCTIO III.

Observationes circa Affectuum ipsorum Naturam.

Quid, & quotuplex sit Affectus.

20. DICO 1. Affectus sive Affectio sive animi Motus aut Passio, græcè πάθος est quædam animi Perturbatio, quæ facit, ut nos immutati non eodem modo de iisdem rebus sentiamus; quis enim non experitur, se aliter de eadem re judicare, dum amat, ac dum odio habet? Omnium affectuum causa est anima sentiens. Illorum sedem, seu Regiam aliqui cor esse volunt: alii docent lætitiæ domi-

micilium in splene esse, iræ locum in felle, libidinis focum in jecore, timoris nidum in corde; ut exprimitur illo disticho:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commovet iras.
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

21. DICO 2. Affectus præcipui enumerari solent duodecim: Sex à Concupiscibili ortum habent; Amor scilicet, & Odium, Desiderium, & Fuga seu Detestatio; Gaudium seu Voluptas, & Tristitia seu Dolor: Sex alii ab Irascibili proficiscuntur, Ira videlicet, Mansuetudo, seu Lenitas, Audacia, Timor, Spes, Desperatio,

22. DICO 3. Affectus alii minùs principales ad hos, unde effluunt, reducuntur: ad Amorem videlicet, Zelotypia, & gratia seu Gratus animus: ad Desiderium, Æmulatio Superbia, Ambitio, Cupiditas, Edacitas, & similes: ad Dolorem, Misericordia seu Commiseratio, & Invidia: ad Gaudium seu Lætitiam, Admiratio: ad Timorem, Verecundia, & Reverentia: ad Iram sive Iracundiam, Indignatio, & Excandescentia: ad fugam, Segnities sive, Acedia.

INSTRUCTIO IV.

De singulis Affectibus in particulari.

De Amore.

23. DICO 1. Amor, quem aliqui vocant Benevolentiam, est Propensio voluntatis ad bonum, quia bonum est, sive illud re verâ bonum

num sit, sive tale solùm appareat.

24. DICO 2. Ad Amorem conciliandum, ostendemus objectum esse bonum: quod quidem bonum triplicis generis esse potest, vel scilicet Honestum, vel Utile, vel Delectabile; quæ omnes rationes non semper in quolibet bono inveniuntur, licet quandoque omnes simul eluceant. Præcipui autem amoris fontes sunt Virtus, Pulchritudo, Similitudo, Amor aliorum erga nos, quem ostenderint, vel nos laudando, vel aliquid pro nobis faciendo, aut sufferendo.

25. DICO 3. Extinguitur Amor rebus contrariis, sicut etiam negotiis, curis, egestatibus, calamitatibus, honorum cupiditatibus, commemoratis prætérea damnis, atque incommodis, vitiisque amatarum rerum.

De Odio.

26. DICO: Odium seu Malevolentia, est animi Aversio ab eo, quod sibi malum opinatur. Ejus causæ sunt Iræ, Criminationes, Rixæ, Mala, Injuriæque illatæ, inhumanitas, & quæ Amori contraria sunt. Odium autem extinguunt, quæ charitatem accendunt.

De Desiderio.

27. DICO 1. Desiderium, quam alii Cupiditatem, alii Concupiscentiam appellant, est appetitus boni futuri, & absentis, cujus indigentes sumus. Auri, seu Divitiarum Desiderium propriè dicitur Avaritia: Desiderium honoris dicitur Ambitio: delectationum turpium Concupiscentia.

28. DICO 2. Excitat Desiderium Absentia, & Bonitas objecti, quod amorem inflammat.

De-

Desiderium extinguimus, si rei desideratæ nocumenta afferamus, ut sunt Molestia, Dolor, amittendi Metus, Instabilitas, &c. Si præterea dicamus rem desideratam esse omnino vilem, & contemptibilem, vel nullam illius indigentiam. Uno verbo, quę ad Amorem extirpandum conferunt, ad expellendum etiam Desiderium valde conducunt.

De Fuga.

29. DICO 1. Fuga seu Detestatio sive Aversatio est Contractio animi a malo absente, quod ut minùs conveniens fuit conceptum. Ut fugam excites, iis utere, quæ odium gignunt: ut verò Fugam retardes, & comprimas, dic non esse verè mala, quæ mala apparent.

De Gaudio.

30. DICO 1. Gaudium est motus animi in bonum præsens, vel quasi præsens: unde qui jam voti compotes fiunt, lætantur..

31. DICO. 2. Gaudium excitat Præsentia boni, quod erat in votis; quod & jam possideri dicemus, & multas bonitatis rationes habere. Item Gaudium pariunt hominibus alicujus novæ veritatis Inspectio, & Contemplatio, virtutes insuper, Sanitas, Pulchritudo, Divitiæ, Bonorum spes, Honores, résque omnes jucundæ.

32. DICO 3. Gaudium expellemus dicendo malam, & turpem rem illam esse, qua quis gaudet: & è ficti illius gaudii fonte ingentes lacrymas orituras.

De Tristitia.

33. DICO 1. Tristitia seu Dolor est animi ægritudo ob malum, vel reverà præsens, vel quod falsò

falsò præsens apprehendatur. Et quidem hic affectus corpori nocet quàm maximè. Tristitiam pariunt Boni decessio, Mali accessio, Retardatio adeptionis rei desideratæ, & omne, quod appetitui resistit: sicut etiam, elapsa occasio, Sacrorum, Deíque contemptus.

34. DICO 2. Tristitiæ remedium est, primò Fletus, qui Tristitiæ vomitus quidam videtur esse: secundò Amicorum consolatio, quæ quidem non statim est adhibenda, sed post solutum naturæ pensum, & veluti concoctum aliquantisper dolorem: tertiò Rerum altissimarum, divinarúmque contemplatio: quartò Consideratio miseriæ rerum sublunarium, humanæque conditionis; quintò Somnus, Venatio, Balneum, éaque omnia, quæ Voluptatem excitant, Tristitiam sedant.

35. DICO 3. Ad Dolorem reducitur Misericordia seu Commiseratio, quam conciliant Os pallidum, Vultus demissus maciéque confectus, Vox lamentabilis, Contraria fortuna hominis præclari, atque innocentis, Ætas tenera, Sexus fragilis, Patriæ afflictæ consideratio, Suorum clades, Descriptio mortis, suppliciorum, vel ipsius personæ demortuæ Hypotyposis, ipsius vestes sanguine cruentatæ, ipsius cicatrices, vulnera, mœrentes pueri, Uxor, Familia mœrere confecta, atque ululans.

De Ira.

36. DICO 1. Ira est quidam ultionis appetitus cum dolore conjunctus, propter apparentem contemptum vel in se, vel in suos, & quidem immeritum.

37.

37. DICO 2. Iraſcuntur, qui moleſtiâ aliquâ, vel ægritudine cruciantur, quíque ſe exiſtimant contemni, contumeliâ affici, privari eo, quod deſiderant: unde ad iram maximè proclives illi ſunt, qui vehementer aliquid deſiderant, & amant. Hinc Poëtæ viros Amantes Iracundos ſolent effingere, ut Herculem, Achillem, Ulyſſem &c. Augetur ira ab excellentia propriæ conditionis, vel ſtatus, vel ab Injuriarum illatore, ſi nimirum amicus, ſi ignobilis, ſi beneficiis affectus. Iram præterea movent Armata ferro manus, Micantes oculi, Supercilium minax, Fortuna præſens adverſa, Detractiones amicorum, Virorúmque innocentum indigna tractatio, Propinquorum violatio, Patriæ contemptus, & direptio, Stultorum aut improborum præmia, Superborum felicitas, qnæ quidem indignationem, invidiámque ſimul excitare ſolet.

38. DICO 3. Ceſſat Ira, ſi illum, qui læſit, pæniteat, ſi timere oſtendat, ſi demiſsè ſe gerat erga nos, ſi Veniam petat, ſi Beneficia conferat, ſi ſe invitum, vel imprudenter feciſſe dicat: ſi aliquis ſaltem ex offendentibus pœnam luat: ſi perſona, quæ læſit, in calamitatem incidat, vel ad maximam dignitatem evecta ſit; ubi enim Timor eſt, non eſt ira.

De Lenitate.

39. DICO: Lenitas, quam aliqui Manſuetudinem appellant, & aliqui cum Miſericordia confundunt, eſt dolor quidam ob malum apparens, & citra meritum, imminens jam vel ſibi, vel ſuis. Miſericordiam pariunt Res aliorum adverſæ, ut Mors, Ægritudo, Morbi, Cruciatus,

Ino-

Inopia, Incommoda omnia; quæ iram extinguunt Misericordiam verò expellunt, quæ Iram commovent.

De Audacia.

40. DICO 1. Audacia est voluntas prosequendi bonum arduum, cum contemptu periculorum atque difficultatum, quæ occurrunt.

41. DICO 2. Audaciam gignunt Potentes amici, Divitiæ, Bona sive animi, sive corporis, propria potentia, Adversariorum imbecillitas, horum Ingenium in rebus agendis minùs exercitatum, Præceps, Imperitum.

42. DICO 3. Audaciam refrænabis, si dicas maxima esse Pericula, facilem esse ipsius Audacis Oppressionem: si ejusdem Impotentiam, ac Imprudentiam, & nullum rerum usum, ac experientiam ostendas: si Adversarium non esse ita Imbecillem, & Solum, ut apparet, demonstres.

De Timore.

43. DICO 1. Timor seu Metus est Animi Aversio à malo, quod fortè futurum per opinionem apprehendimus: Timent autem illi, qui se Malis Obnoxios, illisque Dignos: Debiles ad ferendum, Imbecilles ad resistendum, Auxiliis destitutos ad depellendum esse cognoscunt. Timentur autem etiam Signa illarum rerum, quæ nobis damnum inferre possunt; Homines à nobis læsi, si præsertim sint nobis Potentiores, ac Superiores.

44. DICO 2. Timorem acuemus dicendo, Malum illud magnum esse, Grave, Propinquum, Repentinum, Ignotum, & Difficile evitari, & propulsari posse. Timorem minuemus, augendo

do Vires Personę timentis, minuendo Vires Adversarij, dicendo rem, quæ imminet non esse ita Malam, ut primâ fronte apparet: Assuetudine posse res, etiam terribiles, ferri facile, & exaggerando Damna, quæ nimius timor afferre quandoque solet, non sine mortis periculo: in summa re, quam timemus, pejorem esse Timorem ipsū: ut enim cecinit ille:

Pejor est bello Timor ipse belli.

45. DICO 3. Ad Timorem reducitur Verecundia, quam excitant Sexus, ætatísque Imbecillitas, si scilicet ostendamus pueros, puellásque fecisse olim, quod viri nunc aggredi minimè audent, si detegamus patratorum Flagitiorum Turpitudinem, Numerúmque: si Ignobilitatem, Mendicitatem, oris Deformitatem, Corporis vitium: si Fraudes, Dolos, Ingratum animum exprobremus.

De Spe, & Desperatione.

46. DICO 1. Spes est futuri boni expectatio, cùm scilicet quis bonum se aliquando consecuturum censet.

47 DICO 2. Spem excitant DEI Justitia, & Favor, Promissa, Auspicia, Portenta, Miracula Divorum, patrocinium, Vires propriæ, divitiæ, Hostium Imbecillitas, Amicorum Benevolentia, ac Potentia, Proprium Meritum, Personæ illustris Promissum: insuper rem illam fieri posse, Factum esse aliquando quid simile, illam Credibilem esse in his circumstantiis.

48. DICO 3. Contrariis rebus Spes deflorescit, atque inde oritur Desperatio, qua quis animo destitutus, bonum sibi minimè acquirendum pu-

putat: hanc Cicero lib. 4. Tusc. Ægritudinem vocat absque ulla rerum expectatione meliorum. Jam, quæ Spem excitant, Desperationis remedia sunt.

49. Qui plura de Affectibus desiderat, adeat Philosophos morales, præsertim Emanuelem Thesaurum in sua morali Philosophia Aristotelica.

RHETORICÆ MILITIÆ ORDO

SEU

DE DISPOSITIONE

SECUNDA RHETORICÆ PARTE.

I.

RHETORICI agminis ordinandi leges tradere magnopere quidem oportet; milites enim alioqui lectissimi, nisi in acie rectè ordinentur, ac disponantur, tumultuario pugnantes furore, ab adversariorum copiis frangantur, necesse est.

EXERCITATIO I.

2. AMare quisque potissimùm debet in suis compositionibus Dispositionem, utpote propriæ mentis partum, ac sobolem: nihil enim sub Sole novum: difficile est res novas invenire: invenita tamen ab aliis, varié venustè, & commodè disponere, ac collocare, & facilius est, & commendatione dignum, & novum, ut

ait

ait Seneca epist. 64. (Etsi omnia à veteribus inventa essent, hoc tamen semper novum erit, usus, & inventorum ab aliis Scientia , & dispositio)

INSTRUCTIO I.

Quid sit Dispositio.

3 DICO 1. Dispositio ita definiri solet; Est rerum inventarum in ordinem Distributio; quæ quidem eruditionis, artis , judicii, ac prudentiæ opus est : sicuti ingenii partus esse dicitur argumentorum Inventio; quæ Dispositionis auxilio destituta omnem prorsus vim, omne psorsus robur amitteret.

4. DICO 2. Variæ sunt Auctorum sententiæ de numero Partium, in quas distribuatur oratio : aliqui enim communiùs, in quatuor; alii clariùs, in quinque; alii magis distinctè , in sex illam partes dividunt. Equidem, qui claritatem in primis amo, dico cum Thoma Farnabio in suo Indice Rhetorico , sex esse partes in oratione Exordium, scilicet, Propositionem , Narrationem, Confirmationem , Confutationem , Perorationem. Jam Narratio , & Confirmatio cum Confutatione, & Propositione, rem explicant, & docent. Exordium verò , & Peroratio animos auditorum impellunt.

5. DICO 3. Cum Jacobo Brocardo in Partitionibus Oratoriis, nec non cum aliis Auctoribus, non omnes has partes esse absolutè , & simpliciter necessarias in oratione : aliquando enim summæ prudentiæ est aliquam ex illis omittere.

6. Ne-

6. Necessariæ partes esse videntur duæ, Propositio scilicet, & Fides seu Confirmatio: semper enim oportet rem, quam dicturi sumus, proponere, & illam probare. Jam de singulis his partibus breviter agendum. Prius tamen.

7. DICO 4. Cùm aliquid est componendum, fieri primùm debere Silvam quamdam rerum omnium, quæ ad rem illam spectant, de qua nobis agendum: deinde selectis rebus magis conspicuis, & quæ ad intentum nostrum magis conducere videntur: rejectis frivolis, supervacaneis, & obscuris; ea omnia, quæ remanent, erunt Dispositionis judicio subjicienda, ut in suo loco collocentur.

INSTRUCTIO II.

DE EXORDIO.

Quid sit Exordium, & quando componendum.

8. DICO 1. Exordium est oratio animum auditorum aptè disponens ad reliquam dictionem; per illud enim non solùm orationem aggredimur, sed etiam in auditorum animos, nos sensim sine sensu insinuando. Et quidem tantum est Exordii robur, ut olim apud Rempublicam prudentissimam Exordii usu Oratores prohibiti fuerint, ne scilicet Exordii machinâ auditorum animis vim inferrent.

9. DICO 2. Circa tempus, quo componendum sit Exordium; aliquos velle, ut primum omnium illud componatur: aliqui ultimum.

P. Jugl. obs. 13. vult, Exordium primum esse debere in executione, licèt ultimum in intentione fuerit.

Si meam in hâc re sententiam desideratis, dicam; facite, ut lubet, utque ingenium dictabit, aut tempus, pro compositionum diversitate, aut rerum, quas collegistis, ubertate, aut penuria: dummodo priùs, quàm cæteræ orationis partes à vobis componantur, sciatis, saltem confusè, & veluti in genere, unde, & quomodo sit vobis exordiendum; quandoque enim occurret, aliquam E: G. in Exordio collocari debere eruditionem, vel historiam, aut quid simile, quod nondum per tempus licitum fuerit colligere: cur tunc, si tempus urget, non potero priùs orationem contexere, & interim Exordii, quod in idea jam habebam, materiam quærere, & invenire?

INSTRUCTIO III.

Unde deduci possit Exordium.

10. DICO 1. Varias esse radices, & fontes, unde Exordium desumi possit.

11. Primò enim desumi potest Exordium à Propositione Majore, ut indè descendendo ad propositionem minorem, possim inferre intentum. E. G. Volo probare, Rhetoricam nobili adolescenti esse expetendam; formabo argumentum sic: omne animi ornamentum est nobilibus expetendum: jam Rhetorica est maximum animi ornamentum: ergo Rhetorica est nobili adolescenti expetenda. Porrò Exordium commodè de-

desumi potest ab illa majore propositione, illam amplificando, quòd scilicet omne animi ornamentum sit nobilibus expetendum.

12. Secundò desumi potest Exordium à Caussis, quæ ad dicendum impellunt: E. G. Si de Epistola à Deipara Messanensibus missa sacram panegyrim sis habiturus, dicas, te ad orationem impelli à communi populi lætitia, urbis totius pompa, pietate erga Deiparam, virtutis studio, &c. Si aliquem accusaturus sis, vel defensurus in genere judiciali, dicas, te id facturum boni communis amore, justitiæ studio, reipublicæ utilitate, non verò aliquo privato bono, aut odio, aut nocendi desiderio,

13. Tertio desumi potest Exordium ab Adjunctis seu circumstantiis, videlicet ab ipsius Oratoris persona, solvendo præjudicium aliquod, quo fortè suspicari possis, ne benevolè audiaris.

14. Ab Auditoribus, à loco, tempore, vel aliquo affectu præcipuo, seu solemnitate, quæ tunc præcipuè sit in urbe: V. G. à solemnitate Christi Natalis, à lætitia Resurrectionis ejusdem, à dolore in ejus funere, à ludis in bacchanalibus, a jejuniis sacris quadraginta dierum, &c. ab aliqua nimirum connexione rei dicendæ cum ipso Oratore, vel cum auditoribus, vel cum loco, ubi dicit, vel cum tempore, quo dicit; quæ quidem Exordia, cùm deducantur ex visceribus rei, maximè placent, utpote quæ non possunt facilè rebus aliis aptari. Sic E. G. si quis vestrum esset verba facturus de Sanctissimo Dei Parentis Capillo, quem in majore Basilica maximâ veneratione, ac pie-

tate colit, ac veneratur populus Mamertinus; posset exordiri vel à sua persona, quòd scilicet maximè expediat, se oratione gratum animum erga Crinem illum ostendere, quem semper natale solum, utpote faustum Fortunæ Crinem, expertum est: vel à tempore, exordiendo nimirum à Cometa, seu Crinito sydere, quod nuper aspeximus, illud describendo, & deinde ad Deiparæ sacrum Capillum descendendo.

15. Hic notandum, quod, cùm tale argumentum præ manibus habemus, quo vel summam lætitiam, vel mœrorem, vel aliùs affectûs, vehementiam ostendere velimus, tunc valde opportunum erit exordiri veluti ex improviso, & ex abrupto, ubi, varias argutias inserendo, nostrum affectum ostendemus. Sic V. G in funebri oratione possemus, veluti impetu quodam, ex abrupto incipere per apostrophen, vel exclamationem, vel querelam contra temporis invidiam, mortísque crudelitatem, &c.

16. Quartò desumi potest Exordium (præsertim in genere Exotnativo) à divisione, cùm scilicet, varia referendo, aliis omissis, unum seligimus. Ad hoc Exordium aliqui reducunt Exordium, quod vocant, Ex abundanti, cùm nimirum Orator dicit, adeò sibi copiosam orationis messem suppeditari, ut nesciat, unde sibi incipiendum sit, & cogatur multa silentio prætenire: ut, si velis E. G. Messanam Urbem laudare, percurrere poteris in Exordio variam, amplàmque laudum segetem, quæ occurreret: deinde, cæteris prætermissis, unum eligere: V. G. Messanam, ob singularem erga Dei Parentem ve-

venerationem, ac pietatem, & ob ejusdem cæli, terrarúmque Imperatricis mutuum amorem erga illam, summâ suprá cæteras mundi plagas commendatione dignam esse.

17. Quintò desumi potest exordium ab aliqua quæstione insigni, seu dubio, aut lite: Ut V.G. si velis de Deiparæ Capillo, Mamertinæ felicitasis Sidere verba facere; poteris à celebri illa quæstione exordiri, quam tractat eruditè satis in suis Allocutionibus *P*ater Guinisius, faustáne scilicet, an infausta sæpius portendere soleat Cometa.

18. Sextò desumi potest Exordium à Contrario rei, quam dicturi erimus: V. G. vis probare nobilis animi proprium esse pacem amare; incipere poteris, dicendo, vilis omnino animi esse seditiones, turbas, & bella cupere, atque excitare.

19. Septimò desumi potest Exordium, præsertim in propositionibus metaphoricis (quarum nimiùm cupida est ætas nostra) ab Explicatione illius rei, unde metaphoram sumimus: E. G. vis probare, Divum Ignatium minimæ nostræ Societatis Parentem Solem esse cælo affixum sed terris omnibus sparsum; describe in Exordio Solem, ejúsque proprietates; indè ad propositionem descendes.

20. Octavò desumi potest Exordium, præsertim in Paradoxis, (hoc est in rebus, quæ propositionem arduam, & ferè incredibilem continent) priùs ejus propositionis incredibilitatem exaggerando, deinde paulatim minuendo: V. G. vis probare, verum divitem esse, qui divitiis

omnibus caret; dic primùm incredibile, & quidem jure optimo, videri divitem quempiam sine divitiis esse posse, sicut etiam, & sine calore, calidum, & sine animo viventem, ac animatum: deinde te nihilominùs id probaturum promittes, citra arrogantiam tamen, aut levitatem, rationibus, ac prudentissimorum hominum auctoritate suffultum.

21. Nonò trahi potest Exordium, veluti extrinsecum, & assumptum, ab aliquâ Historia, Fabella, Eruditione, Apostrophe, ab aliquo insigni facto, ab aliqua Consuetudine vel antiqua, vel recenti, ab Ænigmate aliquo, à Numinis, Divorúmque invocatione, &c.

INSTRUCTIO IV.

Exordii Virtutes.

22. DICO 1. Plures sunt Exordii Virtutes præcipuæ.

23. Prima est Proportio cum tota oratione, tum quod ad magnitudinem, tum quod ad stylum attinet: sicut enim corpori Caput proportionatum esse debet, ne monstrum fiat; ita & Exordium Orationi, quod illius est veluti Caput. Jam circa stylum, & characterem.

24. In genere Exornativo Exordia stylum amant elegantiorem, floribus vernantem, ingenisque luminibus, non tamen affectatè, nec poëticâ licentiâ scatentem.

25. In genere Deliberativo gravis, & simplex sit Exordii stylus.

26. In genere tandem Judiciali gravissimus,

& ab

& ab omni prorsus florum illecebra alienus: arma enim exigit potiùs, quàm calamistrum, qui aliquem in Judicio accusat, vel defendit.

27. Secunda Exordii Virtus est Connexio cũ propositione: nisi enim caput collo conjungatur, corpus truncum erit, & mortuum: nec sine audientium horrore dicemus: & licet aliquando, præsertim in genere Exornativo, introductione quadam uti possumus, cavendum tamen, ne (quod multi faciunt) à rebus nimiùm disparatis incipiendo, auditorum animos longiùs, quàm par est, suspensos intolerabili profectò equuleo torqueamus.

28. Tertia Virtus est, ut Exordium tale sit, quod auditores reddat attentos. Excitatur autem attentio, si se dicturum promittat breviter (gaudent enim brevitate omnes, ne uno quidem excepto) nova, terribilia, utilia, necessaria, difficilia &c. Ridiculi autem sunt, qui verbis quibusdam solemnibus, formulisque vulgaribus, & decantatis solent post Exordium attentionem exigere ab auditoribus à quibus plerumque formulis illis risum potiùs extorquent.

29. Quarta Virtus est, ut eosdem auditores dociles reddat: id autem fiet, si clarè, ac distinctè proponat, ac dicat.

30. Quinta Virtus est, ut eosdem auditores benevolos reddat: id autem fiet captando benevolentiam; non tamen semper, sed si opus fuerit: cùm enim auditor supponitur jam benevolus, frustra teritur tempus in captanda benevolentia.

31. DICO 2. Conciliatur benevolentia vel

ex persona dicentis, vel ex persona auditorum, vel ex persona adversariorum, vel ex persona, de qua agimus, vel ex ipso negotio, & re dicenda.

32. DICO 3. Conciliatur benevolentia ex persona dicentis; si Orator modestiam, ac verecundiam præseferat; & non gloriæ cupiditate, aut lucri gratiâ, sed auditorum charitate, aut aliquo honesto fine se ad dicendum motum fuisse ostendat.

33. Ex persona auditorum; si se erga se ipsos, ipsorúmque civitatem, mores, sapientiam, virtutem &c. bene affectum demonstret, sed citra assentationis umbram.

34. Ex persona adversariorum; si eorum vitia, calumnias, odium detegamus.

35. Ex persona, quam laudamus, vel reprehendimus; si ejus dignitatem, vel indignitatem innuamus.

INSTRUCTIO V.

Exordii Vitia.

37. DICO 1. Vitiosum Exordium est, si Vulgare, si Commune, si Commutabile, si Longum, si Separatum, si Translatum, si Inartificiosum. Jam

38. Vulgare Exordium est, quod pluribus causis, atque diversis potest accomodari, &, ut ajunt, est de Communi.

39. Commune dicitur, quo etiam in contraria causa qu's uti posset.

40. Commutabile est, quod facilè mutari potest, ut contrariæ causæ inserviat. 41.

41. Longum, quod pluribus verbis auditoribus faſtidium parit, illóſque malè ad orationem diſponit, dum vel nimiúm prolixam timent, vel tanto Exordio minimè proportionatam.

42. Separatum, quod non eſt cum orationis corpore connexum.

43. Tranſlatum, quod non eſt ad rem, id eſt, aliter fit, ac res poſtularet: ut ſi inſinuatione utereris, ubi ex abrupto deberes incipere: vel cùm ex abrupto inciperes, inſinuationem negligens, ubi illa opus eſſet.

44. Inartificioſum denique Exordium eſt, quod caret arte, & ad triplicem Exordii finem obtinendum aptum non eſt, nec ſcilicet ad auditores benevolos, attentos, dociléſque reddendos accomodatum.

45. Peccant præterea nonnulli infimi ſubſellii Oratores, qui poſt Exordium ex induſtria exſpuunt, tuſſiunt, os linteolo abſtergunt, capitis operimentnm, & veſtes accommodant, aut quid ſimile affectatè agunt. Non negaverim tamen ante Exordium immorandum quandoque tantiſper eſſe, ſed moderatè, donec auditores ſedeant, illorumque frequentia, ac tumultus, ſi fortè erit, ſileat, & quieſcat: cæterùm id præſtare poſt Exordium non niſi breviſſimè fas erit, ne auditorum frequentia jam ſedata, ſilentii, moræque impatiens, iterum excitetur.

INSTRUCTIO VI.
DE PROPOSITIONE.

Ubi, quomodo Propositio alioqui trita possit Novitatem induere.

46. DICO 1. Propositio est, qua quid, & quomodo dicendum sit, paucis exponimus. Brevis sit oportet, distincta, & adeò clara, ut non solùm intelligatur, sed non possit non intelligi. Propositio quandoque per Exordium vagatur, illi immista: aliquàndo in Exordii fine locum obtinet. Ut autem attentionem conciliet, & placeat, aliquam præseferat novitatem.

47. DICO 2. Cavendum, ne Propositio puerilis sit, vel poëtica, vel sordida, vel indigna, vel nimiùm temeraria, & audax: ut si quis probare vellet Christum Crucifixum Scarabæum esse: vel Beatam Virginem esse Helenam, aut Venerem: vel Divum Josephum parem esse Sanctissimæ Trinitati: vel quid simile.

48. DICO 3. Variis modis propositio alioqui Trita, & vulgaris potest Novitatem induere.

49. Primò, si fiat Problematica: sic enim rationum, atque argumentorum conflictu auditorum attentio excitabitur: V. G. vis probare, avaritiam maxima orbi terrarum mala peperisse; ita propositionem institue, quærens per problema, Majoràne mala orbi intulerit Ferrum, an verò Aurum.

50. Secundò, si fiat Comparativa: V. G vis pro-

probare, Rhetoricæ studium utile esse Reipublicæ, quæres, Pluréſne expugnarit urbes, victoriáſque reportatit Rhetorica, an Belli robur, reíque militaris prudentia.

51. Tertiò, ſi fiat Tranſitus de genere in genus: V. G vis avarum reprehendere; dicas, avaro virtutes etiam eſſe ſuas: illum paupertatis amantem eſſe, famis patientem, ac ſitis, abſtinentiæ cupidum, ſuíque commodi, ac perſonæ eximium contemptorem.

52. Quarto, ſi contradictoriis, & pugnantibus rebus conſurgat: V. G. Vis de puero JESU in præſepio reclinato panegyrim contexere; dic Divinum Puerum eſſe Pygmæum Gigantem; flammam, & nivem; ver, & autumnum; æſtatem, & hyemem.

53. Quinto, ſi reducatur ad Paradoxum (quod latinè ſonat Inopinatum) id eſt, ad aliquod à communi hominum opinione valde remotum; V. G. ſi vis ad condonandas injurias, vel ad divitias contemnendas hortari; dic Optimum ulciſcendi genus eſſe, nòn ulciſci: Verum divitem eſſe, qui pauper eſt.

54. Sextò, ſi præcipuè in genere epidictico, Pyramidem E. G. erigas, Coloſſum efformes, Templum, Aram, Arcum triumphalem. Imaginem delinees: Statuam effingas aut Coronam, vel Triumphi pompam inſtituas illi, cujus laudes vis exprimere. Sic ego audivi quondam egregium Oratorem, qui Deiparam avitæ labis immunem celebraturus, eidem Mauſoleum excitavit, Auſtriacæ Domus inſignibus, palmis, atque trophæis fabricatum; quæ quidem Domus Auguſtiſ-

gustissima pro originali Virginis innocentia, regia sanè pietate, ac munificentia, semper, & ubique gentium feliciter propugnavit.

55. Septimò, si præsertim in genere Exornativo, totam panegyrim ad unam tantùm personæ laudandæ Virtutem, vel illustre Facinus reducas; ita tamen, ut nihil ex eius vita negligas, sed omnia prorsus attingas: Panegyris enim opere pretium est, omnem prorsus personæ laudandæ vitam, & facinora illustria delibare, ita ut magnam illius opinionem in auditoribus pariat. Sic paucis ab hinc annis Panormi Oratorem audivi, è nostra Societate, mihi plùs quàm familiarem, utpotè cui me natura plùs quàm familiaritatis modo eonjuxit, qui totam Beati Aloysii Gonzagæ sacram panegyrim indê hausit, quòd Beatus adhuc puer noluit, vel ipsam puellulæ cujusdam umbram, ita impetante ludi duce, ac victore, per jocum osculari. Ex qua umbra totius Aloysii sanctimoniæ altitudinem, atque progressus argumentatus est; sicut ex umbra Solari solent Astrologi Principis Planetarum iter, ac lucem dimetiri

56. Idem non exiguum ab Astantibus plausum retulit, ubi de Sanctissima Eucharistia Sermonem habiturus pro sacris Rostris, solum celebre Miraculum illud amplificavit, quod evenit Viro DEI Malchovio, qui cùm litus appellete neutiquam posset, ad Sacrum faciendum, Balænâ usus est, instar Scopuli, quæ in incostantia maris immota stetit, donec divinum Opus absolveretur.

57. In hujusmodi exordiis poterimus quando-

doque uti illâ figurâ, qua scilicet dicamus: laudent alii paupertatem, hi charitatem extollant, alii obedientiam amplificent, alii temperantiam exaggerent, virtutésque alias exornent Gonzagæ: equidem, his omnibus prætermissis, ipsius puritatem commendabo &c.

INSTRUCTIO VII.

De Narratione.

58. DE Narratione satis diximus in Progymnasmatis: vos illuc remitto. Hîc brevissimè.

59. DICO 1. Narrationem specialem locum habere in genere Judiciali, ubi solet personæ facinus, quod accusamus, vel defendimus, Judicibus diligenter exponi.

60. DICO 2. In genere Deliberativo, & Exornativo Narrationem non habere locum specialem, sed per totam orationem vagari, ut sese occasio tulerit: ubi, præsertim in Exornativo genere, Narratio argutias admittit, & ingenij lumina.

INSTRUCTIO VIII.

De Confirmatione, & Confutatione.

61. EGimus satis de Confirmatione, & Confutatione in Progymnasmatis: nunc breviter.

62. DICO 1. Confirmatio, quam aliqui Cor, atque Animam orationis appellant, est illa, qua argumentando nostræ causæ fidem, auctorita-

tem,

tem, & firmamentum adjungimus: seu, Est illa orationis pars (& quidem videtur esse præcipua) qua argumenta proferimus ad id, quod probare contendimus.

63. DICO 2. Confutatio est, qua argumentis adversariorum, quæ contra nos fieri possent, occurrimus, eorúmque vim frangimus, penitúsque labefactare contendimus. Aliqui priùs solvunt argumenta adversariorum, deinde rationes ad rem evincendam depromunt. Alii priùs rationes afferunt suas, deinde adversariorum conatus expugnant. Alii rationes proponunt, quarum decursu quodlibet argumentum adversum, quod suo loco occurrit, aggrediuntur, & solvunt. In confutando autem juvabunt persæpè joci, derisiones, facetiæ, modestè tamen, & citra audaciam, aut arrogantiam.

64. DICO 3. Quod dixi etiam in Progymnasmatis, argumenta scilicet validiora in principio, & fine, debiliora in medio collocanda. Aliqua nimis frivola, & quæ facilè contra nos possunt inverti, omnino prætereunda.

65. DICO 4. In argumentis afferendis varietate opus est, & figurarum fulgore. Cavendum tamen, ne locustarum more, ex uno ad aliud argumentum absque aliqua eleganti transitione saltemus. Unde

66. DICO 5. Transitio est aurea veluti fibula, seu apta dicendi formula, qua quod priùs dictum est, cum eo, quod dicendum erit, connectitur: quæ quidem Transitio perfecta esse potest, vel imperfecta: perfecta Transictio dicitur, cùm & dicta repetit, & dicenda innuit: ut Cic.

in

in Orat. pro Lege Manilia (Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam) & idem alibi (Hactenùs de principe : quæ sequuntur, de monstro dicenda) Imperfecta Transitio dicitur, quæ solùm dicenda significat, dicta tamen nequaquam repetit, V. G. Quid hìc immoror ? aliò me vocat, &c.

67. Transitiones varias ex illustribus auctoribus, sicut etiam alias dicendi formulas, ordiendi scilicet, petendi attentionem ac benevolentiam, narrandi, proponendi, partiendi, continuandi, abrumpendi, confirmandi, exempla ac testimonia citandi, objiciendi, & confutandi, claudendi, rogandi & petendi, gratias agendi & habendi, laudandi, vituperandi, corrigendi, &c. collegit, ac refert in suo Indice Rhetorico Thomas Farnabius. Has equidem libenter vobis ex hoc loco dictarem ; vereor tamen, nè hæc modo transcribentes, deindè temporis angustiis pressi, res majoris momenti cogamur omittere. Sit igitur.

INSTRUCTIO IX.

De Peroratione.

68. DICO I. Peroratio, sivè Epilogus, est orationis artificiosus terminus, in quo Orator id, quod totâ oratione contendebat, vehementius urgere conatur. Artificiosus, & ingeniosus sit oportet hic exitus. Duas habet partes, Enumerationem scilicet, & Amplificationem : duo enim munera præstare debet, videlicet primò, quæ per totam orationem dicta sunt, pau-

paucis complecti, brevitérque repetere; quod fit per Enumerationem: Secundò Auditorum affectus acrius excitare; quod fit per Amplificationem (de qua infrà dicemus in tertiâ Exercitatione) aptis figuris ac sententiis adhibitis, ut Apostrophe ad viros clarissimos, ad Divos, ad leges, ad Patriam, &c.

69. DICO 2. Enumeratio, quæ in Peroratione fieri solet, fiat per aliquam concinnam figuram, nè Auditorum memoriæ diffidere videamur: si autem oratio perbrevis fuerit; quæquè facilè potuerit memoria ab Auditoribus retineri, Enumeratione in Peroratione abstinendum.

EXERCITATIO II.

De Argumentatione.

1. PRæcipua Orationis pars in Confirmatione, & Confutatione sita est, quæ quidem non nisi armorum, id est argumentorum, tractatio est. De hac in præsenti Exercitatione breviter nobis est inquirendum.

INSTRUCTIO I.

Quid, & quotuplex sit Argumentatio.

2. DICO 1. Argumentatio est fusior, artificiosáque argumenti tractatio, & explicatio, quæ sumitur ex locis Rhetoricis, indè eruendo res certas, vel probabiles ad inferendum intentum. Jam res certæ existimantur primò, quę sensibus percipiuntur: secundò, quæ communi

ni omnium opinione affirmantur: tertiò, quæ legibus, & moribus sunt receptæ : quartò, quæ jam probatæ sunt, vel ab Adversariis ultrò conceduntur.. Probabiles verò res illæ sunt, quæ sumitur ex locis Rhetoricis, indè eruendo res certas, vel probabiles ad inferendum intentum. Jam res certæ extimantur primò, quę sensibus percipiuntur: secundò, quæ communi omnium opinione affirmantur: tertiò, quæ legibus, & moribus sunt receptæ: quartò, quæ jam probatæ sunt, vel ab Adversariis ultrò conceduntur. Probabiles verò res illæ sunt, quæ ferè semper accidunt, ut liberos amari à parentibus; & quæ ad trutinam revocatæ, speciem veritatis præseferunt.

3. DICO 2. Præcipuæ Argumentationis species sunt quinque : Syllogismus nimirum, Enthymema, Sorites, Dilemma, Inductio. Jam de singulis breviter aliquid agendum.

INSTRUCTIO II.

De Syllogismo.

DICO 1. Syllogismus, latinè Ratiocinatio, est argumentationis species suprà cæteras perfectissima, quæ duabus constat propositionibus conclusionem inferentibus. Prima Propositio à Dialecticis vocatur Major; quia ab illâ tota vis ratiocinationis emanat. Secunda Propositio ab iisdem vocatur Minor. Tertia tandem vocatur Conclusio, seu Consequentia, En Syllogismi Dialectici Exemplum ex Cicerone pro Milone: *Major. Omnis insidiator jure à quovis interficitur:* *Mi-*

Minor, *Clodius fuit insidiator*:
Conclusio. *Ergò Clodius jure est interfectus*.

5. DICO 2. Eumdem Syllogismum, seu Ratiocinationem, à Rhetoricis dilatari, & dividi in quinque partes, quarum prima dicitur Propositio: secunda Propositionis Probatio: tertia Assumptio; quarta Assumptionis Confirmatio: quinta Complexio i En supradictum Syllogismũ in Rhetoricam formam reductum.

Propositio seu Major.	Insidiatores interfici posse, sanæ mentis inficiabitur nemo:
Propositionis Probatio.	Etenim necessitas Barbaris, ratio doctis, natura animantibus vim vi repellere persuasit.
Assumptio, seu Confirmatio	Clodium autem insidiatorem fuisse, quis ignotet? negare quis audeat?
Assumptio Confirmatio.	Is enim armatus, in equo expeditus, cum sceleratâ servorum manu, in agro Milonem lecticâ vectum, & imparatum aggressus est.
Complexio, seu Conclusio.	Justè igitur interfectum fuisse Clodium, nemine prorsus refragante, fatendum erit;

DI-

6. DICO 3. Nonnunquam totam orationem per unicum Syllogiſmum diſponi, & amplificari. Non tamen ſemper neceſſario idem ordo in argumentatione ſervandus eſt: præſtabit enim nonnunquam ab Aſſumptione, nonnunquam à Propoſitione, nonnunquam à Complexione exordiri, ità ut ratiocinatio modò Aſſumptione, modò Propoſitione, frequentius verò Complexione claudatur.

7. DICO 4. Ratiocinationem ita perpolitè, copioſéque tractatam Græco nomine vocari a nonnullis Epicherema: quamvis alii velint Epicherema eſſe ratiocinationem breviſſimam, ſeu Syllogiſmum compendiarium, cùm nimirum totus Syllogiſmus ad unam partem reducitur, in quâ aliarum partium vis includatur: V. G. Cicero pro Dejotaro, quem ſervus apud Cæſarem accuſabat, dicit (Sinè causâ ſervus dominum accuſet? En Syllogiſmum latentem: Non debet ſervus ſine causâ Dominum accuſare. Iſte Dejotari ſervus eſt: ergò non debet Dejotarum ſinè cauſa accuſare.

INSTRUCTIO III.

De Enthymemate, & Sorite.

8. DICO 1. Entymema, quod Ariſtoteles Syllogiſmum oratorium appellat, quia Oratoribus valdè familiare eſt Syllogiſmus, ſeu Ratiocinatio imperfecta, & detruncata, cui ſcilicet deſit vel Major, vel Minor Propoſitio. Prima Propoſitio vocari ſolet Antecedens, ſecunda verò Conſequentia, ſeu Concluſio. V.G. Rhe-

Rhetorica est animi ornamentum : ergò est expetenda: subintelligitur Major, idest Omne animi ornamentum est expetendum. Nonnunquam addi solet Antecedentis Probatio.

9. DICO 2. Sorites, quem Latini Acervalem appellant, est, ex Cicerone, Argumentatio, quæ multa gradatim, & acervatim involvit: ac tandem, veluti quibusdam gradibus, ad conclusionem accedit; quam argumentationem Dialectici, à primo ad ultimum, vocant. Exemplum afferri solet, quo Themistocles probabat, filium suum adhuc triennem toti terrarum Orbi imperare.

Orbi imperat Europa,
Europæ Grecia,
Græciæ Athenæ,
Athenis Themistocles,
Themistocli Uxor,
Uxori Filius,
Ergò, à primo ad ultimum, Orbi imperat Filius.

10. Quod nuper imitantem audivi sacrum Concionatorem de laudibus Divi Josephi, penes quem dum adhuc mortalis viveret, fuisse Universi Orbis imperium, ita ostendebat.

Orbi imperat Pater D. O. M.
JESU data est à Patre omnis Potestas in Cælo, & in Terra,
JESUS Sanctissimæ Virgini subditus erat, ut Matri Filius:
Hæc D. Josepho, ut suo Conjugi Sponsa.
Igitur Orbi imperabat Joseph.

INSTRUCTIO IV.

De Dilemmate, & Inductione.

11. DICO 1. Dilemma, seu Complexio, quæ dicitur à Dialecticis Syllogismus Cornutus, quod sit bicuspis, est ratiocinatio duas habens partes, quarum si unam evites, in alteram incurras necesse est. Sic arguit quidam in eos, qui Astrologis credunt: Astrologus vel prędicit fausta, vel infausta: si fausta: miser eris expectando bonum, quod nunquam eveniet: si infausta; miser etiam eris frustra concipiendo timorem.

12. Celebris est argumentatio illa per Dilemma, quam refert P. Causinus in Eloquentiâ lib. 6. cap. 3. Evathlus Protagoræ se discipulum in Rhetoricâ tradidit, & magnam pecuniæ vim promisit, si tamen vinceret litem, cùm primum apud Judices peroraret: Deindè post Rhetoricæ tyrocinium mercedem Præceptori negabat. Præceptor hoc Dilemmate discipulum urgebat: Si apud Judicem te duxero, ut mihi mercedem solvas, vel vinces litem, vel non; si vinces debes pretium ex pacto: si non vinces, debes pretium ex sententiâ Judicis: ergo absolutè debes mihi mercedem. At discipulus apprimè ingeniosus eumdem gladium contra Præceptorem sic invertit: Vel vincam in judicio litem, vel perdam: si vincam; mercedem nón debeo ex sententiâ Judicis: si perdam, mercedem non debeo ex pacto: ergò absolutè mercedem tibi non debeo.

13. Cujus argumentum imitatus Pictor nescio

scio quis. Huic Avarus quidam ingentem se præbiturum mercedem pollicitus, si iconicum sibi simulacrum depinxisset: deindè, effigie jam absolutâ (& graphicè quidem) ut à promissis discederet, negabat se ab imagine illâ exprimi, callidus Pictor Figuræ frontem cornibus adornavit: tum ad officinæ fores suspendit. Avarus id ægrè ferens bile æstuare, clamoribus omnia complere; contrà quem ita Pictor argumentatus per Dilemma: Vel hæc Imago te exprimit, vel non. Si non te, sed me, vel alium exprimit; quid quereris, si cornibus illam dedecoravi? Si autem te exprimit; quo jure igitur pactum mercedem negas? Et tandem Argumento sanè Cornuto Avari crumenam arietavit, atquè operæ pretium extorsit.

14. DICO 2. Inductio est Argumentatio, quæ ex pluribus collationibus certis vel concessis ab Adversariis probat, quod intendit: V. G. Ensis, nisi sæpius vaginâ detectus lucem aspiciat, rubiginem trahit: ager, nisi ferro excolatur, in rusticam tandem sterilitatem abibit: si diù extrà aquas moretur navis, jam rimis hians, erit ad iter faciendum inepta: ergò etiam nisi stylus exerceatur, omnis prorsus facilitas dicendi elanguescet.

15. DICO 3. Inductio imperfecta, quam aliqui vocant Inductionem Rhetoricam, appellatur Exemplum: & fit, cum ex uno simili aliud infertur: V. G. Horatius non fuit condemnatus, quod sororem occiderit: ergò nec Milo erit condemnandus; quòd hominem necarit.

IN-

INSTRUCTIO V.

De Captiosis, & Fallacibus argumentationibus.

16. DICO 1. In argumentationibus examinare oportet singulas Propositiones, ne scilicet, eo concesso, quod negari debet, turpiter tandem id conemur affirmare, quod falsum omninò videmus esse.

17. DICO 2. Ad hoc, ut Syllogismus & cæteræ omnes Argumentationes, quæ quidem ad Syllogismum reducuntur, inferendi, & rectè concludendi vim habeant, opus est, ut tres dumtaxat, ut ajunt, Terminos, seu tria propositionum Extrema contineant. Si plura, quàm tria habeat, captiosa argumentatio est, & omninò fallax: adeòque tunc etiam concessâ Majore, & Minore propositione, negari jure poterit Consequentia; talis argumētatio enim, ut Logici ajunt, non est in formâ.

18. DICO 3. Licet quandòque in propositionibus bis repetatur idem verbum, si tamen non semper in illis eodem modo significet, sed vel rem significatam, vel modum significandi mutet, tunc non unus, sed plures termini censendi erunt, licet unum tantummodo verbum proferatur. En fallacium harum argumentationnm & inutilium Exempla nonnulla.

Apostoli sunt duodecim:
Divus Petrus, & Paulus sunt Apostoli:
Ergo Divus Petrus, & Paulus sunt duodecim.

In

In quo Syllogiſmo, ut videtis, Quatuor habentur termini: in Majore enim propoſitione vox illa, Apoſtoli, Collectivè omne ſimul Apoſtolos complectitur; in Minore verò ſolùm Divum Petrum, & Paulum ſignificat.

Aliud exemplum afferri ſolet:

Qui inter libros verſatur, doctus evadet.
Tinea inter libros verſatur:
Ergo Tinea evadet docta.

Ut videtis, in Majore propoſitione, Verſari inter libros, ſignificat libris ſtudere, ingenióque, & mente in illis verſari: in Minore verò, Verſari inter libros, ſignificat illis ineſſe corpore, & libros ore comedere, atquè conſumere.

Aliquid exemplum eſſe poteſt:

Quidquid fit invitè fit coactè.
Deus facit racemos in vite:
Ergo Deus facit racemos coactè:

Ubi, ut videtis, Invitè, ſemel unica vox eſt, & adverbium: ſemel eſt Ablativus cum præpoſitione In, & quid longe diverſum ſonat.

Aliud exemplum eſt:

Qui moritur cum fide, ſalvari poteſt:
Nero mortuus eſt cum fide:
Ergo Nero ſalvari potuit:

Ubi, ut videtis, Fides, in primâ propoſitione ſignificat virtutem theologalem: in ſecundá verò propoſitione, lyram muſicum inſtrumentum.

Sed hæc, quæ propria ſunt Logicorum, leviter tetigiſſe ſit ſatis, ne in alienam meſſem falcem immitamus.

EX-

EXERCITATIO III.

De Amplificatione.

1 QUoniam Argumentatio à Dialecticis breviſſimè fieri ſolet, & in modum contractæ manus, ſeu pugni, ut ajebat Zeno: a Rhetoricis tamen, qui non ſolùm veritatem oſtendere, ſed etiam affectus movere ſtudent, fuſius, & in morem explicatæ manus, ſeu palmæ, tractari argumenta conſueverunt; ideò opportunum hunc locum cenſeo, in quo hanc Exercitationem inſtituam, & aliquem amplificandæ argumentationis modum vobis aperiam.

INSTRUCTIO I.

Quid ſit Amplificatio, quinam ejus finis, locus, materia.

2. DICO 1. Cum Cicerone: Amplificatio eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem

3. DICO 2. Amplificationis finis eſt affectuum motus, & excitatio: unde ejus præcipuus locus eſt in Peroratione, licet ponatur aliquando in Exordio, & frequenter in orationis curſu adhiberi ſoleat, poſtquam aliquid fuerit firmè per argumentationem confirmatum, vel reprehenſum; tunc enim, convicto jam intellectu, facilè eſt Auditorum animos excitare, ac movere.

4. DICO 3. Amplificationis materia ſunt res

quædam magnæ, graveſque cauſæ: qui enim res exiles, & frivolas enucleando, ſuprà meritum, amplificare conaretur,&, ut ajunt, Tragœdias in nugis ageret: Sophiſta potiùs & præſtigiator, quam Orator cenſendus eſſet. Jam in genere Exornativo Amplificationis materiam præbeant res, quæ voluptatem, &admirationem afferre poſſunt. In genere Deliberativo bonorum, malorumque exempla adducantur, quæ multum roboris habet ad movendum. In genere tandem Judiciali ab iis locis eruatur Amplificatio, quæ invidiam, vel commiſerationem pariunt.

INSTRUCTIO II.

Quotuplex ſit Amplificatio.

5. DICO 1. Duplex eſt Amplificatio, verborum una, rerum altera. Hæc ſecunda eſt, quam cum Cicerone definivimus, & de qua in hac Exercitatione præcipuè nobis agendum. Jam, ut aliquid delibemus de verborum Amplificatione.

6. DICO 2. Verborum Amplificatio non eſt inanis illa vocum exaggeratio, quæ rem ſuprà modum extollens, ei plus tribuit, quàm veritas patiatur: hoc enim eſſet mentiri. non amplificare. Eſt igitur verborum Amplificatio, quæ à Græcis Auxeſis, id eſt Augmentum, dicitur; & fit

7. Primò, cum verbis utimur illuſtribus, gravibus, plenis, ſuperlativis, ſonantibus, ad ſuperiora gradatim aſcendentibus, cum ſuperlativa nomina ponimus pro abſolutis, ſeu poſitivis, plu-

pluralem numerum pro singulari, verbalia pro absolutis, seu abstracta pro concretis, composita pro simplicibus.

8, Secundò fit per epithetorum, & adverbiorum aptam copulationem, per synonymorum frequentationem, per crebras, argutásque metaphoras, periphrases, antonomasias, cæterósque tropos illustriores,

9, Tertiò per figuras omnes, quæ vehementiam præseferunt, cujusmodi sunt præcipuè Interrogatio, Subjectio, Repetitio, Conversio, Complexio, Apostrophe, Exclamatio, Hypotyposis seu Descriptio, Sustentatio, Ethopœia, Communicatio, Obsecratio, Optatio, Imprecatio, & similes, de quibus suo loco,

10. Quartò per Dilatationem Periodi, de qua dicemus intrà, ubi de Elocutione tertiâ Rhetoricæ parte,

11. DICO 3. Magnum esse periculum, ne verborum amplificatio in puerilitatem abeat, si fiat sinè moderatione, & prudentiâ. Audivi enim nonnullos, qui tertio quoquè verbo epithetorum catervam adjungunt, & quidem frustrà. Moneo igitur cùm P. Jugl. epithetorum usum Oratoribus inservire non ad merum periodi complementum. sed si magis rem explicent, si pondus, & energiam addant, si contineant argutiam, vel eruditionem scitu digna, siquè conducant ad intentum nostrum, vel si talia sint, quæ addita voci, illam veluti novam reddunt, novum addendo significatum, cujusmodi sunt E. G. quæ vocis ipsius significationem videntur destruere; quod idem dicendum etiam de Ad-

G 2 ver-

verbiis: V. G. Objurgatio Encomiaſtica, Dives Pauperies, &c. vel: Maria Magdalena flagellis ſemet pulcherrime deformans, Innocenter Fera proprium corpus dilacerabat, ...

INSTRUCTIO III.

De rerum Amplificatione per Locos communes.

22. DICO: Ex iiſdem locis Rhetoricis, undè argumenta deſumuntur, erui etiam debet Amplificatio, quæ veluti quædam ſpecies eſt argumentationis. Duodecim tamen ſunt præcipuè Loci ad amplificandum magis idonei, & veluti fontes, undè deſumi poteſt Amplificatio.

PRIMUS AMPLIFICATIONIS FONS,

Definitio.

13. DICO I. Valde confert ad amplificandum Definitionum congeries, ſivè, ut alii vocant, Definitiones Conglobatæ: cùm ſcilicet plures rei Definitiones coacervantur, ſeu deſcriptivæ illæ ſint, ſive metaphoricæ, aut ſynonymæ, aut mixtæ. aut ironicæ, &c, & quidem aut per affirmationem fiant, aut per negationem. En exemplum ex Cicerone, qui per Definitiones conglobatas Campanum agrum amplificat (Fundum unum pulcherrimum Populi Romani, caput veſtræ pecuniæ, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ diſperire patiemini?)

14. Et ejuſdem aliud per Definitiones Syno-

nonymas Artis Rhetoricæ (Tibine vilis est illa doctrina Rhetoricæ, quæ sit orandi facultas, ars benè dicendi, scientia graviter, & copiosè disserendi, inveniendi magistra, atquè disponendi cum elocutione, memoriâ, atquè pronunciatione? Quæ dicit accommodatè ad persuadendum, quæ docet, movet, atquè delectat?)

15. Si stylo floridiore Exemplum desideràtis, accipite ex P. Pomey Progym. 3. conglobatas florum definitiones (Flores exquisitissima naturæ omnium parentis ornamenta, ocelli hortorum exanimes, odorifera telluris astra, molles, vivæquè gemmæ, nectareæ roris, & mellis officinæ, Nympharum decor, & amores, sedes Gratiarum, blandimenta Cupidinum, amœnitatum omnium, illecebrarumquè puriorum picturatæ pyxidulæ, oculos, odoratùmque incredibili delectatione demulcent,

16. DICO Tamen 2. Serpit Indies Scriptorum quorumdam morbus (quem ipsi fortasse Definitionum conglobatarum Cacoëthes appellarent) qui sive Prosas scribant, sivè Carmina, omnia metaphoricis definitionibus coacervatis contexunt ità ut præter hunc fontem amplificandi nullum agnovisse videantur. Cibus, etsi delicatus, ac regius, assiduus tamen, & solus, placere desinit, quin & fastidio esse incipit: & Heliogabalus olim pluviis etiam rosis oppressos convivas occidit;

Consulite, quæ diximus in Progymnasmatis de Descriptione,

SECUNDUS AMPLIFICATIONIS FONS.

Partium Enumeratio.

17. DICO: Hæc fit, cum distribuimus vel totum in partes, vel genus in species, vel speciem in individua.. Sic Cicero volens exponere commotam urbem, dicebat: (afflictum Senatum, perturbatos Equites, furentem plebem suspensam, ac solicitam Civitatem) Ex hoc fonte tritum illud, sed efficacissimum argumentum passim amplificant Concionatores ad vindictæ desiderium extinguendũ; dum probant non esse contra Mundi leges, & statuta inimicis parcere.

Quis enim, inquiunt, Mundus est, qui ulcisci imperat? Deus ejus Auctor? Papa, Imperator, Reges, Principes, Duces, omnes Universitatum Moderatores? An Homines Sapientes, legum Periti, Conjuges, Filii, Servi, Amici, ipsi Hostes, quibus interitum machinaris &c. Nemo, sanè, quin hi omnes vindictam pœnis, maledictis, odio prosequuntur, ac detestantur. Quis igitur Mundus est, qui Vindictam imperat? Homines solummodò inhumani, ut humanæ prudentiæ, ac benignitatis expertes, ita & humano nomine indigni &c. Videatur P. Zuccar. Quadr. Conc. 3.

TERTIUS FONS.

Similitudo.

18. DICO: Inservire potest ad amplificandum Similium coacervatio, quam Indu-

ductionem alio vocabulo nuncupavimus in Exercitatione præcedente. Exemplum afferam ex Patre Radau, quod vobis Adolescentibus valdè opportunum censeo. Vult illam propositionem doctissimus Pater exponere, quod scilicet, Si vitia ab Adolescentibus in principio non corrigantur, difficile posteà extirpari poterunt, cùm creverint. En, quomodo per Similium coacervationem illam amplificet (Prohibete scelerum igniculos, si conflagrare non vultis: obstruite fontes, si violento fluctu abripi non optatis: succurrite languori, si morbo extingui timetis: quemadmodum enim ignis de parvâ scintillâ ortus non rarò integras urbes demolitur; quemadmodum fluvius guttatim aggeri se infundens universam molem eruit, & evertit; quemadmodum levis febricula ingentes morbos excitat, totâsque familias absumit; sic vitia Juvenum, nisi opprimantur initio, fortius radices agunt, donec omnem animi virtutem, omne honesti ornamentum turpissimâ labe conficiant.)

QUARTUS FONS,

Comparatio.

19. DICO 1. Vel plurium Comparationum congeries, vel una tantum Comparatio amplificationi opportunè satis inservit. Videte, quæ diximus de Comparatione in Progymnasmatis. Interim Comparationem ex Cicerone afferam inter Murenam, & Sulpitium. (Qui potest dubitari, quin ad Consulatum adipiscendum multo plùs dignitatis afferat rei militaris,

quàm juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis Consultoribus respondeas; ille, ut eò, quò intendit, maturius cùm exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum cantus exuscitat: tu actionem instituis; ille aciem instruit: tu caves, ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur: ille tenet, & scit, ut hostium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur: ille exercitatus est in propugnandis finibus, tu in regendis.)

20. DICO 2. Reducuntur ad Comparationem exempla, quæ, si præsertim plura coacerventur, valdè movent, & Amplificationi inservinnt.

QUINTUS FONS.

Dissimilitudo.

21. DICO: A Dissimilibus amplificari poterit per eorundem conflictionem, seu permistionem. Hinc Cicero dissimilia Marci Varronis, & Marci Antonii studia sic exposuit (O tecta ipsa misera, quàm à dispari domino (quamquam quomodo ipse Dominus? sed tamen quàm à dispari tenebantur! Studiorum enim suorum Marcus Varro voluit esse illud, non libidinum, diversorium. Quę in illâ anteà dicebantur? Quæ mandabantur? Jura populi Romani, monumenta Majorum: at te inquilino (non verò Domino) personabant omnia vocibus ebriorum, natubant pavimenta vino, &c.

SE-

SEXTUS FONS.

Contraria.

22. DICO 1. à Contrariorum conflictione desumpta est illa Ciceronis Amplificatio in Catilinam (Quis ferre possit inertes homines fortissimis insidiari, & stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus?)

23. DICO 2. Hæc contrariorum conflictio fieri potest vel ità, ut verbum verbo; vel, ut membrum membro; vel, ut periodus integra integræ periodo opponantur.

SEPTIMUS FONS,

Repugnantia.

23. DICO: Repugnantia alicui rei sunt, quæ ex ejusdem rei contrario proficiscuntur. Ex quo loco hanc sumpsit Amplificationem Cicero prò Syllâ (Mihi cujusque salus tanti fuisset, ut meam negligerem? Per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? Quemquam denique ego juvarem, à quo crudeles insidias in Rempublicam factas, & in me potissimum Consulem, putarem?)

OCTAVUS FONS,

Adjuncta.

24. DICO 1. Adjuncta seu Circumstantiæ omnes, quæ rem præcedunt, comitantur, consequuntur, sunt maximè ad amplificandum

 ido-

Idonea. Et ad illa capita reducuntur, quæ toties diximus:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

26. DICO 2. Notandum, quodlibet ex Adjunctis posse iterum distribui veluti in suas partes. Sic V. G. si enucleo, Quis, explicabo personam, & in hac animum, corpus, conditionem: in animo, ingenium, memoriam, voluntatem: & in his scientias, virtutes, &c. In corpore verò vires, venustatem, agilitatem, &c. In conditione nobilitatem, amicitias, fortunas, dignitates, honores, divitias, &c. Et sic Adjuncta singula percurrendo, uberrimam Amplificationis messem inveniam. En ex Cicerone Amplificationem ex Adjunctis, qua Turpem Antonii vomitum sic describit (Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in Populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In Cœtu verò Populi Romani, negotium publicum gerens Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis exculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal implevit, &c.

27. DICO 3. Huc reducuntur etiam Amplificationes petitæ ex descriptionibus corporum, camporum, fontium, fluviorum, arborum, metallorum, artium, virtutum, vitiorum, &c. quæ Poëtis sunt familiares, non rarò Historicis permissæ, quandóque etiam Oratoribus.

NONUS FONS,

Causæ.

27. DICO: Vel plures Causæ, præsertim efficientes, ac finales, vel plures unius rei rationes coacervatæ, Amplificationem parere possunt amplissimam. Cicero pro Milone sic probat, Clodium Miloni parasse insidias, quia nimirum scelestus erat, quia Milonem oderat, quia honoribus inhiabat. quia impunitatem sperabat.

DECIMUS FONS,

Effecta.

29. DICO: Cum ex hoc fonte Amplificationem eruimus, Effectus enumerantur, qui ex aliquâ causâ proficiscuntur. Si vis ex hoc loco Virtutis laudes amplificare; dic Virtutem esse, quæ mœstos recreat, ægros reficit, jacentes erigit, excitat afflictos, miseros beat; quæ splendorem rebus obscuris, vilibus pretium, abjectis dignitatem, vulgaribus honorem, humilibus excelsitatem, contemptis commendationem accersit, omnibusquè venerationem conciliat.

UNDECIMUS FONS,

Antecedentia.

30. DICO: Ex hoc Loco amplificat, qui res omnes enumerat, undè ad aliquem exitum perventum sit. V. G. Catilinæ nefarios cona-

natus Marcus Tullius Cicero suâ sagacitate statim odoratus est, singulari vigilantiâ pervestigavit, summâ prudentiâ reprehendit, miro in Rempublicam studio prodidit, incredibili eloquentiâ convicit, gravissimâ auctoritate repressit, armis extinxit, magnâ felicitate sustulit.

DUODECIMUS FONS,

Consequentia.

31. DICO: Hoc Loco utimur, cùm plura enumeramus, quæ aliquid consequuntur; quod, si fiat per Hypotyposim, pulcherrimum erit. V. G. ex Cicerone (nam, cùm hostium copiæ non longæ absunt, pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio cõquiescit: ita nequè ex portu, nequè ex decumis, nequè ex scripturâ vectigal conservari potest: quarè sæpè totius anni fructus uno rumore periculi, atquè uno belli terrore amittitur.)

INSTRUCTIO IV.

De aliis Amplificandi Modis.

31. DICO 1. Primus est Incrementum, cum scilicet crescit Oratio, & veluti gradibus ad summum, ac etiam suprà, insurgimus. V. G. Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?

33. DICO 2. Secundus modus est Extenuatio incremento contraria, quæ fit, cùm res, alioqui graves, quas jam diximus, extenuamus, ut, quæ

quæ ſequuntur, graviora videantur: V. G. ex Cicerone (Nummos popoſcit; ne ſit hoc crimen in Verrem, fecerunt alii. Cùm ille non daret, animadvertit improbum, ſed non inauditum. Genus animadverſionis videte: quæretis, ex quo genere hominum iſtum judicetis. Ignem ex lignis viridibus, atquè humidis in loco anguſto fieri juſſit: ibi hominem ingenuum, domi nobilem, Populi Romani ſocium, atquè amicum fumo excruciatum ſemivivum reliquit.)

33. DICO 3. Tertius eſt Ratiocinatio, cùm ſcilicet aliquid augetur, ut aliud indè creſcat Sic Virgilius Turni Virtutem, & robur magnoperè celebrat, ut indè Æneæ victoris virtus magis eluceat.

35. DICO 4. Quartus modus eſt Congeries, cùm ſcilicet aliis, atquè aliis modis, verbis, ſententiis eandẽ rem efferimus: ut Cicero (Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalicâ gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? &c.

36. DICO 5. Ad quartum hunc modum reducuntur plures Auctorum, ac Sanctorum Patrum ſententiæ, quibus ſæpiſſimè utuntur ſacri Oratores: quæ quidem ſententiæ, ſi ſelectæ ſint, & ad rem faciant, & lepidis ingenioſiſquè tranſitionibus ſecum contextæ, nec tam frequentes, ut tota Oratio illis ſuffarcinetur, placent, & ingentem vim habent probandi ac amplificandi.

57. DICO 6. Quintus modus eſt Digreſſio, quæ eſt rei alicujus ad utilitatem cauſæ pertinentis,

tis, extra ordinem tractatio: quæ, cum sit fusior, Oratio aliquâ transitione vocanda est ad propositum, ut eò, undè profecta est, revertatur.

INSTRUCTIO V.

Quid de duobus Amplificandi Modis. a P. Pomey nuper relatis.

38. DICO 1. P. Pomey Progymn. 3. Part. 2. cap. 1. §. 2. & 3. Duos alios Amplificandi Modos refert, quos Novos vocat, & à se inventos.

39. Primus est, cùm aliquid amplificatur percurrendo Substantiva nomina, & Adjectiva, ordine Alphabeti. Jam tàm Substantiva, quàm Adjectiva, in tres classes distribuit, nempe in illa, quæ Laudes continent: in illa, quæ Vituperationem significant: & in illa, quæ sunt Communia.

Primi generis sunt Adamas, Agnus, Cælum, Consolatio, &c. Admirabilis, Amabilis, Beatus, Bellus, &c.

Secundi generis, Aculeus, Bellua, Bustum &c. Accusandus, amarus &c.

Tertii generis, Arbor, Ars &c. Absconditus, Abundans &c.

40. Vult autem in quolibet ex iis Nominibus Oratori immorandum, si velit ab iis rem aliquam amplificare. V. G. vis Pacem laudare; dic illam esse constantiâ ADAMANTEM, innocentiâ AGNUM, felicitate CÆLUM &c. ADMIRABILEM, atque AMABILEM omnibus, utpote BEATAM, BELLAM &c. Non autem ACCUSAN-

SANDAM, AMARAM &c. ut bellum, quod dici poteſt ferreus cordis ACULEUS, fera BELLUA, perditæ Reipublicæ BUSTUM &c.

41. Secundus Modus eſt per eas res, quæ oculis aſpiciuntur: V. G. Si in Domo verſeris, videbis Gradus Januam, Feneſtras, Sedes, Aulæa, Pavimentum, Parietes, Tectum, Abacum &c. Jam de quacunquè re loqui velis, poteris, inquit, in his rebus ſingulis tantiſper immorando, amplificationem contexere: ſicut etiam, ſi Rure ſis, poteris ijs uti ad amplificandum, quæ per agros, ſilvaſquè perſpicies, Arboribus nimirum, Fontibus, Fluviis, Venatione, Armentis, Feris, Paſtoribus &c. V. G. dic, per Pacem faciles eſſe GRADUS ad gloriam, Pacem eſſe veræ felicitatis JANUAM, quietis SEDEM, animi ORNAMENTUM &c. virtutum omnium ARBOREM, FONTEM &c.

42. DICO 2. Si meam de his Modis amplificandi ſententiam optatis, equidem illos agnoſco, non tamen ut *Novos*, utpote qui ad aliquem ex Locis Rhetoricis, & communibus reducantur, vel ſcilicet ad Comparationem, vel ad Similitudinem, vel ad effecta, Cauſas, &c. Ingenioſiſſimi Viri inventum laudo, qui etſi Amplificandi Modos haudquaquam novos depromat, affert tamen his ſuis Subſtantivis, atquè Adjectivis, Rebuſquè omnibus, quę ob oculos verſantur, Modum, quo facilè juvari poſſit Tyronum præſertim memoria, ut, excitatis locorum communium variis ſpeciebus, Amplificatio contexatur. Verum.

43. DI-

43. DICO 3. Ingens periculum, præcipuè Junioribus, & parùm in Arte versatis, est, ne elementariis hisce Amplificationibus plura, quæ ad rem non faciunt, enumerando, sese ridiculos Auditoribus reddant: Sale, & judicio opus est.

RHE-

RHETORICI
MILITIS ORNAMENTA
ET ARMORUM FULGOR,
SEU
DE ELOCUTIONE.
TERTIA RHETORICÆ PARTE.

I.

ELOCUTIO Rhetoricæ Militiæ copias ornat, nitidaque, ac perpolita largitur arma, quorum ipso fulgore perculsi, radiosquè admirati Auditorum animi superentur. In qua Eloquentiæ parte magis, quam in aliis, est tyronibus præsertim elaborandum, cùm ipsam præcipuam Rhetoricæ partem quamplures esse contendant, quod toti Eloquentiæ nomen dederit.

2. Jam Jacobi Ludovici Strebæi de Elect. & collocat. verb. lib. 1. cap. 9. consilium est, Elocutionem, quamvis naturæ ordine tertiam Rhetoricæ partem, primam tamen pueris tradendam: invenire enim, & collocare sententias proprium ma-

magis est prudentiæ & ingenii, quam artis: Elocutio verò magis artis, quam prudentiæ, propria est. Tùm quia cætera præcepta non satis est excepisse, nisi ad calamum, usumquè revocata exerceantur; qui autem exerceantur, nisi priùs Eloquentiæ Tyrones artificiosam verborum cōpositionem, periodorum ambitus, ornandæquè Orationis artem, legesquè didicerint?

EXERCITATIO I.

3. QUoniam tres Elocutio virtutes enumerat, singulis Exercitationem instituam suam: In hac primâ, de primâ ejus virtute, in sequentibus Exercitationibus, de duabus aliis sermo erit.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Elocutio, & de Elegantia prima ejus virtute.

4. DICO 1. Elocutio est idoneorum verborum, ac sententiarum ad inventionem accomodatio: vel, est idoneus verborum, figurarum, ac sententiarum apparatus. Ejus virtutes præcipuæ tres sunt. Elegantia, Compositio, Dignitas seu Ornatus; hîc de Elegantiâ loquimur: unde

5. DICO 2. Elegantiæ munus est, ut dicatur purè, & perspicuè. Jam ut pura sit Oratio, duos illos evitet infames scopulos, Barbarismum, & Solœcismum. Est autem Barbarismus, cùm vox profertur vel omninò barbara, & peregrina; vel

vel propria quidem, sed vitiosa scripto, pronunciatione, sivè accentu: V. G. si quis diceret: Avvisare, pro, Admonere; Mangus, pro, Magnus; Legebit, pro Leget; Amannus, pro, Amandus; Mascimus, pro, Maximus; Acros, pro, Agros, &c.

6. Soloecismus est partium orationis vitiosa compositio, cum nimirùm voces, etsi Latinæ, & propriæ, malè tamen, & non juxta Grammaticæ leges inter se copulantur: ut si quis diceret: Ego amo virtutis, pro, virtutem.

7. DICO 3. Ut perspicua sit Oratio, primò voces amet Latinas, nec peregrinas, & Græcanicas affectet. Secundò verbis utatur usitatis, quæ scilicet frequentius à bonis Auctoribus usurpantur, non autem vocabulis quibusdam obsoletis, quæ jam veluti putrescunt confecta senio. Tertiò verbis clarioribus effulgeat, ità, ut si duo æquè Latina, æque sublimia occurrant vocabula, illud seligat Orator, quod magis dilucidum est. Quartò nullum ambiguum, aut dubium sermonem contineat, nisi fortè argutiæ, aut joci gratiâ. Quintò nimium longam Periodorum circuitionem fugiat, sicut etiam earundem contractionem brevissimam. Sextò Parentheses prolixas evitet, quæ tenebras diffundunt Orationi.

8. DICO 4. Voces Latinas censeo non solùm, quas Auctores Latini protulêre, sed primò alias quandoquè ex necessitate innovatas, quod res significent, quæ florente Latio non extabant, ut Bombarda, Cocolata, Granadilla flos, & similia Veteribus ignota. Secundò alias ad illorum imitationem formatas: ut, si Plautus dixit, Acti-

ticisso, Sicilisso; cur dici à nobis non poterit, Messanisso, Panormisso, &c. Tertiò Casus Nominum, Patronymica, &c. Tempora Verborum, & Modos, juxta regulas generales, ubi opus erit; si enim bonus Auctor quandoquè Nominativum, aut Casum alium obliquum adhibuit: si Modum Indicativum, & Tempus præsens; cur non poterimus ejusdem Nominis aliis casibus, ejusdemquè Verbi aliis Modis, atquè Temporibus ad legum ideam uti, ubi nihil obstat, nulla scilicet lex, ut inquiunt, positiva, id prohibet, nec aliundè innotescit Nomen, aut Verbum illud cum defectivis recensendum? Cur enim Regulæ generales traditæ sunt, si id non liceat?

9. DICO 5. Hæc monui, non ut indè libertatem, & licentiam in loquendo vobis instillarem (Tyrones enim ipsissimis Veterum vestigiis hæreant, ne errent) sed ut aliquorum intemperantiam comprimerem, qui ad alios censurà afficiendos, proclives sunt, & paulò liberiores. Hac libenter arreptà occasione.

10. DICO 6. Dignum est, quod huic loco inseratur ad verbum, ex Libello, cui titulus, Opuscula Campiani, edito, Mussiponti 1622. qui nec admodum obvius est, & doctrinam continet sanè non contemnendam, & Auctorem habet omni veneratione dignissimum, Caput quintum Tractatûs de Imitatione collecti, & Compendio Rhetorices, quod idem Edmundus Campianus suis Oratoriæ facultatis Studiosis Anno 1567. & 68. proposuit Pragæ. Illud accipite, ut à me olim transcriptum adhuc

Ser-

servo (si rectè transcripsi) præstiti enim id Junior Panormi, dum Rhetoricæ studerem. Auctorem ite rum in fonte consulere, dum hæc dicto, non valeo, cum Libellum hoc non inveniam.

Ex Patre Edmundo Campiano.

11. Verbum recipio nullum, quod non ille (subintellige, Cicero) recepisset: multa autem admitto, quæ ille non protulerit, prolaturus sinè dubio, si tulisset occasio. An ego dubitem, qui vir gravis, & sapiens pertractans Philosophicas voces convenientes fecerit, idquè ut augeret Linguam Latinam, sicut ipse affirmat; idem, si de agriculturâ fusius disputasset, plurima dixisset cùm Varrone, Catone, Columellâ; præsertim cùm in uno libello de Senectute, & OCCATUM, & OCCATIO, & ARISTÆ, & ACINUS VINACEUS, &, REPASTINATIO, & CONSITIO, & POMARIA legantur, alibi apud hunc nusquam? Quid? qui semel de Legibus, TIRGETA, nominavit, semel ad Quintum fratrem, SYLVAM VIRIDICATAM, semel de Fato, MULIEROSUM; semel in Tusculanis, MULTIPLICABILEM, semel in Paradoxis, MUTILUM, semel in Epistolis, SPORTELLA, & ARTOLAGANOS, semel ad Atticum, DICTICULUM, semel de Universitate, DIVIDUUM, semel in Verrem, DIVARICARI, semel de Naturâ Deorum, VITICULAS; ille non ejusdem generis alia prodidisset, si vel sæpius, vel copiosius talia disseruisset? Quid si recuperari possent illius Volumina de Republicâ, quæ exciderunt?

An

An non suppeditarent bona vocabula, quæ tamen nullus adhuc Nizolius in reliquo Cicerone viderit? Cujus rei conjecturam ex eo capio, quod in Somnio Scipionis, & EXTIMUM GLOBUM, &, STELLIFERUM CÆLUM, & IMMOBILEM, TERRAM, & LUNAREM CURSUM reperio; quæ non reperissem, nisi hoc fragmentum ex illius sexto de Republicâ Libro superesset. Non igitur linguam Ciceronis, quæ multa reticuit, non fortunam temporum, quæ multa perdidit, sed Ciceronem ipsum facio censorem, & Judicem dictionum. Sic loquar, ut ipse loquebatur, & paratus erat loqui. Militiæ verba, quæ in illo desidero, sumam de Vegetio, Agriculturæ de Varrone, & Catone, Architecturæ de Vitruvio, Medicinæ de Celso, Philosophiæ de Scolis; sed ità sumam, ut imitationi, quam urgeo, nihil incommodem. Nequè etiam, si reliquus sermo sui similis fuerit, vocabula quædam adscita, & persperſa rarius, quæ vel necessitas peperit, vel usus emollit, figuram universam corrumpere, ac depravare poterunt.

12. Sed, ne quis hanc libertatem vertat in audaciam, duo præscribo. Primum, ut, quoad ejus fieri possit, Cicero totus exquisitissimè referatur & exprimatur. Secundum, ut extra Ciceronem nihil assumatur, quod non ingens utilitas, necessitasvè flagitent; utilitatem interpreter, cum vim, lucem, pondus, securitatem apportet una dictio, quâ repudiatâ, vel obscuritas, vel error, vel offensio non modica bonorum hominum jure timeri debeat. Nempe apud Ciceronem, PER-

PESSIO, non, PASSIO, invenitur, num propterea Christiani non audebimus, CHRISTI PASSIONEM, totidem literis, & syllabis enunciare? Per me quidem potius in Tyberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quàm hujus unius dictiunculæ jactura fiat. Quare? Sic enim increbuit jam significatio rei sanctissimæ, & maximæ, ut non sit tutum abolere. Idem existimo de POENITENTIA, quæ fortius, & valentius Ecclesiæ Catholicæ sensum loquitur, quam RESIPISCENTIA, quæ mihi videtur non solùm re infirmior, sed sono etiam durior. Jam verò, quis nesciat, SACRAMENTUM apud illos Ethnicos non idem significasse, quod hodiè apud Christianos? aut VETUS, NOVUMQUE TESTAMENTUM, ex talium Auctorum sententiâ pro SACRIS BIBLIIS, accipi non posse? Quid ergo? Nomen antiquabimus? Consensio fidelium, & verbi religio vetat. Aliquid etiam copiæ elargiemur, sed magnâ cùm cautione, & in vocibus admodum luculentis, quæ licet nihilo plus efficacitatis aut commoditatis afferant, tamen, si dignæ videantur Ciceronis auribus, locupletandi sermonis gratiâ juvant, ut, GRACILIS, pro TENUI, STRIGOSO, SUBTILI, EXIGUO, cur damnetur? Cicero non habet GRACILITATEM habet, quæ proxima est; at GRACILITUDINEM, &, GRACILENTUM nolim, quæ nihil utilitatis, multum insolentiæ secum ferunt.

13. Sed quoniam ad Ciceronis mentem in hoc delectu provocavimus, quid ille senserit, eliciamus ex eo, quod fecerit Libro secundo de Divi-

natione : SORITEM , inquit , ſi neceſſe ſit , Latino verbo liceat , ACERUALEM appellare : ſed nihil opus ; ut enim ipſa Philoſophia , & multa verba Græcorum , ſic , σωρείτης , ſatis Latino ſermone tritus eſt . Ecce , cum res poſtularet , finxit vocabulum : quantò magis uteretur jam factis non à quolibet audaculo , & imperito, ſed ab idoneis , & diſertis ; nequè ſemper , ſed verecunde ; nec ubiquè, ſed loco ſuo . Hæc ſi tribuimus commoditati , inopiæ certè , & neceſſitati pluſculum dabimus .

14. Ut , FIBULA , Cæſaris eſt lib. 4. de bello Gallico ; Ciceronis non eſt , qui tamen in Bruto dat eidem Cæſari de puro , & incorrupto Sermone honorificum , & liberale teſtimonium . ACETUM FRIGORIFICUM , dixit Gellius : alterum rectum eſt , alterum ineptum ; neutrum Ciceronis ; illud amplectimur , hoc rejicimus .

15. Cùm ergò deeſt Vocabulum rei quotidianæ , vel ſatis uſitatæ , quam circumloqui moleſtum ſit , quis non concedat aliundè ex laudatiſſimis Auctoribus eſſe petendum ? ut ſunt , ABSTEMIUS , ACCIPITER , ACCENSUS , ABOLITUS , & ſimilia ; quæ quidem incerta nihil officiunt imitanti , imò , pauciſſimis exceptis , eadem nihilo ſecius manebit phraſis , compoſitio , & figura ſtyli ſemper eadem . Hæc ille .

16. DICO 7. Ut notitiam aliquam vobis Tyronibus tradam de Auctoribus Linguæ Latinæ , quos inoffenſo pede ſequi poſſitis ; ut alios ſileam , illos cenſeo , quorum auctoritate noſter P. Franciſcus Scorſus , Vir de Latino Sermone optimè meritus , ſuum Latium Chriſtianum erexit , firmavitque ; Jam illi ſunt. *Pri-*

Primæ, & rudioris ætatis.

17. Quintus Ennius, M. Pacuvius, Cajus Lucilius, M. Accius Plautus, P. Terentius Afer, L. Afranius.

Secundæ ætatis aureæ.

18. Marcus Tullius Cicero, Q. Cic. M. Frater, Lucceju Epiſtola ad Cic. Criſpus Salluſtius, M. Varro, T. Lucretius Carus, Cajus Valerius Catullus, Cæſar, Hirtius, T. Livius, P. Virgilius Maro, Albius Tibullus, Sex. Aurelius Propertius Q. Horatius Flaccus, P. Ovidius Naſo, Q. Catulus, Q. Curtius.

Tertiæ ætatis decoloris.

19. Valerius Maximus, Moderatus Columella, Annæus Seneca uterque, L. Annæus Lucanus, Q. Fabius Quintil. Silius Italicus, M. Valerius Martialis, Cornelius Tacitus, C. Suetonius Tranquillus, Plinius Senior. P. Statius Papin. Junius Juvenalis, Plinius Junior.

Qoartæ ætatis, elangueſcente, jàm, ſed tamen adhuc vivente, Latio.

20. Agellius, Ulpianus Jureconſultus, Aurelius Macrobius, Paulus Jureconſultus.

Quorum auctoritate viri docti etiam uſi ſunt Horatius Turſellinus in ſuo Nomenclatore, & & Hadrianus Cardinalis de ſer. Lat. Inſtituta Juſtiniani Latiniſſima cenſet P. Petrus Ruiz inſignis Theologus S. N.

Uſus etiam eſt vir eruditiſſimus labore Barnabæ Briſſonii, qui aureum Librum de formulis Latini Sermonis edidit, & Lapidibus antiquis ab ipſo relatis, &c.

INSTRUCTIO II.

Quid in Nominibus servandum Elegantiæ causa.

UT Elegantiæ consulamus, nonnulla breviter monere opus.

21. DICO igitur 1. Ablativus absolutè positus, vel antè verbum, vel Periodi initio scitè collocatur: V. G. Dux, victò hoste, milites commendavit. Vel, Carolo Secundo Imperante, felix Sicilia nuncupatur.

22. Nunquam Ablativo, qui Vocali incipit, præcedat Præpositio, A, sed, Ab. V. G. ab Urbe, non A Urbe. Si verò à Consonante initium habeat, poterit illi tum A, tum Ab, anteponi, si præsertim Liquida incipiat: V. G. A, vel ab Lecione; A, vel ab Rege: A, vel ab Jove, A., vel ab Sylvus.

23. DICO 3. Idem dicendum de E, & Ex; quæ tamen posterior Particula præponi etiam solet Monosyllabis: V. G. Ex Urbe; non E Urbe. Peto Ex te, melius, quàm, E te. E, vel Ex Rege; E, vel Ex vitâ; E, vel ex sylvâ.

24. DICO 4. Genitivus Casus duorum Substantivorum melius alteri Substantivo præponitur: V. G. Sapientiæ gloria. Virtutis honor, atquè ornamentum.

25. DICO 5. Adjectivum nomen elegantius Substantivo præponitur: V. G. Præclara muliee, Strenuum agmen. Cicero sæpè Adjectivum duabum Syllabarum Substantivo plurium Syllabarum, postponit: V. G. Ea est inter Oratores ronos dissimilitudo. 26.DI-

26. DICO 6. Nullus, a, um, elegantius Substantivo postponitur: V. G. Sermo nullus, nisi de te.

27. DICO 7. Nemo, ultimum sæpè amat locum: V. G. Id inficiabitur nemo.

28. DICO 8. Si Adjectivum Substantivo præpositum hiantem Orationem, vel Sermonem asperum, aut obscurum redderet; vel si totum Sermonis pondus, atquè energia in Adjectivo collocanda est; tunc Substantivo postponendum: V. G. Puer maturus, & prudens.

29. DICO 9. Inter Adjectivum, & Substantivum eleganter aliquid interponitur: V.G. Ingens, ac tutus Messanæ Portus.

30. DICO 10. Cognomina, Tulliano ritu, possunt vel Nominibus præponi, vel voce interpositâ ab iisdem sejungi: V. G, Loyolam Ignatium: vel, Loyola quidem Ignatius: aut Ignatius quidem Loyola &c.

31. DICO 11. Juvabit quandoquè pro Adjectivo suum oppositum additâ negatione proferre: V. G. vis dicere, Adolescentem hunc esse Rhetoricæ artis peritum; elegantius dicas: Adolescentem Rhetoricæ artis haud imperitum.

32. DICO 12. Si unum Adjectivum duobus Substantivis hærere debeat, elegantius præponatur: succedant deindè Substantiva geminatâ Conjunctione: V. G. Divus Chrysostomus summus & Orator, & Sanctus.

33. DICO 13. Comparativa, & Superlativa nomina Substantivum nomen sæpiùs subsequuntur: V. G. Fani locupletissimi, ac religiosissimi diripiendi causa.

34. CICO 14. Comparativum nunc Periodi initium aperit, nunc finem claudit eleganter: V. G. Urbs nulla est Messanâ Urbe nobilior. Vel: Felicior pugnâ, cui secundi Numinis favor arriserit.

35. DICO 15. Nonnumquam Comparativa nomina loco Positivorum ponuntur amplificandi gratia. Ut: Vehementius ardebat, pro Vehementer ardebat; sæpius dolet, pro, sæpè dolet.

26 DICO 16. Superlativum, quod injucundum auribus accideret, commutandum erit cùm Positivo, præposito Adverbio superlativo: V. G. melius est dicere, Maximè necessarius, quàm, Necessarissimus.

37. DICO 17. Elegantius est dicere: Multum pecuniæ, aliquid literarum, Magnum roboris: quàm, Multam pecuniam, Aliquas literas, Magnum robur; sicut etiam valdè eleganter dicimus: Id ætatis, id temporis, pro, ea ætas, id tempus.

38. DICO 18. Ad augendam nomini Positivo Significationem, addi poterit, Per, Perquã: V. G. Pernecessarius, Perquam beatus: Comparativo, Longè nobilior: Superlativo, Quam, Multò; V. G. Quàm celeberrimus, Multò jucundissimus.

39. DICO 19. Si plura Substantiva Plurali numero conjungantur; Adjectivum, aut Verbũ Substantivo nobiliori adhereat: V. G. Romani milites, & copiæ ab hostibus rejecti. Si tamen plura Substantiva Singulari numero, vel aliqua Singulari, aliqua Plurali numero prolata connectantur, tùm Adiectivum, aut Verbum vicinio-

ri

ri Substantivo cohæreat: V. G. Musæ, ludus, & studia Adolescentibus jucundissima.

40. DICO 20. Id, quod Italicè dicimus, E. G. Per tua cortesia, per tua gentilezza, &c. Latinè dicimus satis eleganter præpositâ particulâ, Pro, vel Relativo. Qui, æ, d. V. G Tu per Tua cortesia mi favoristi: Tu pro tuâ humanitate, vel, quæ tua humanitas est, me gratis cumulasti.

41. DICO 21. Cùm aliquid insigne Nomen, vel Adverbium ponimus, & volumus cùm energiâ exprimere, illud postponemus, adhibito Adverbio, Quidem, vel, Pronomine, Idem: V. G. Archimedes Syracusanus Astrologus fuit, & quidem egregius. Vel: & idem singularis.

42. DICO 22. Si aliquem celeberrimum re aliquâ bonâ, vel malâ fuisse dicendum est, laudem, vel vituperium Genitivo afferas, addito Substantivo laudis, vel vituperii: V. G. Vis dicere Ciceronem eloquentiâ conspicuum, & Calvinum vitiis insignem; dic: Cicero fuit eloquentiæ laude, vel gloriâ, vel famâ, vel splendore, vel nobilitate conspicuus. Calvinus vitiorum labe, maculis, dedecore insignis.

43. DICO 23. Adjectivum polysyllabum in fronte Orationis, & in fine non invenustè ponitur: V. G. Miseri, qui sunt inglorii. Vel: Nihil enim facilè persuadetur invitis.

44. DICO 24. Nomina propria, & ea polysyllaba, initium Periodi eleganter exornant: V. G. Aristoteles ille quidem, &c.

45. DICO 25. Quod additur ad laudem, vel vituperationem, sæpius Nominibus propriis præ-

ponatur : V. G. Tantus amator secreti Demosthenes.

46. DICO 26. Relativum aliquo casu prolatum venustissimè antecedenti præponitur : V. G. Quem mihi literis commendasti, maximè diligo.

47. DICO 27. Oratio elegans est, si Præpositione universali affirmativâ, vel negativâ, vel insigni Nomine, Adverbiovè claudatur : V. G. quæ jussisti facere conabor diligentissimè.

48. DICO 28. Pronomina, Ego, Tu, ille : & Possessiva, Meus, Tuus, Suus, & similia, nisi sæpè omittantur, fastidium pariunt. Quando tamen energię, aut claritati inserviunt, haudquaquam prætermittenda.

49. DICO 29. Quoniam Conjunctionibus sæpè opus est, circa illarum usum noto, quòd, Ac, Atquè, in principiis Periodi aptè collocari solent : At, præfertur verbis incipientibus Vocali, vel Consonante præter C, & Q. Conjunctio, Atque, sequente Vocali elegantius usurpatur.

INSTRUCTIO III.

Notantur aliqua circa Verbum, ut elegantior evadat Oratio.

50. DICO 1. Elegantiam sermoni comparabimus, si à posterioribus incipiendo, Verbum, quod quidem expectabatur, tanquam Sententiæ clavis, sensum, & periodum occludat : nisi Numerus (de quo infrà dicemus) id vetet : V. G. Et sylvarum amœnitate, & camporum ubertate, cæterisquè prærogativis Messana totius Sici-

ci-

ciliæ deciſis regia naturæ beneficentiâ coronatur.

51. DICO 2. Si Subjunctivus modus pro Indicativo efferatur: V. G. Dicam quomodo in Adoleſcentium animos ſæpè vitiorum copiæ penetrarint, pro, penetrarunt.

52. DICO 3. Si Potentiali utamnr pro Verbo, poſſum, vel, debeo, vel volo: V. G. Igitur inſcitiæ ſerviam? vitiorum caſtra ſequar? Ideſt inſcitiæ ſervire potero? vitiorum caſtra ſequi debeo.

53. DICO 4. Si Infinito potius utamur, quã Subjunctivo cùm, Quod: V. G. melius eſt dicere: Te in morbum incidiſſe doleo; quàm: doleo, quod in morbum incidiſti.

54. DICO 5. Si Verbum Subſtantivum initio poſt aliquam dictionem collocetur: V. G. Ea eſt humanarum rerum conditio.

55. DICO 6. Si idem Verbum, Sum, es, eſt, præcedente Comparativo, aut Superlativo, Orationis finem occupet; V. G. Decus nullum ſapientiæ laudibus majus eſt.

56. DICO 7. Si idem verbũ Subſtantivum quandoquè omittatur: V. G. Romanorum comitia olim Meſſanæ indicta, pro, indicta ſunt.

57. DICO 8. Si Infinitum verbum vertatur in Participium, dummodo verbum aptum præcedat: V. G. Mihi conſulto opus eſt: pro: mihi opus eſt conſulere; vel: Te admonitum volo; pro: volo te admonere.

58. DICO 9. Hæc, & hujuſmodi Præcepta non omnia adeo religiosè ſervanda ſunt, ut ab ipſis recedere vitio detur.

59. Hæc in præſentiarum circà Nominum,

Verborum que elegantém usum innuisse sit satis. Si aliquid de Particulis in Latino sermone adhibendis desideratis, consulite Horatium Tursellinum, alios què, qui de Elegantiâ integros Libros scripsere. Qui plurima tamen id genus præcepta desiderat, legat Albertum de Eyb in suâ Margaritâ Poëtarum initio Libri.

EXERCITATIO II.

DE COMPOSITIONE.

Secunda Elocutionis virtute.

1. COmpositio est modulata quædam, & concinna verborum, sententiarumquè structura, quæ ex Ordine, Juncturâ, Periodo, Numeroquè consurgit.

INSTRUCTIO I.

De Ordine.

2. DICO 1. Ut Ordo, & Collatio Verborum juxtà artem procedat, primo in amplificando semper crescat Oratio, ità ut minoribus, & levioribus, vel minùs necessariis majora, & graviora, & magis necessaria succedant: V. G. Animi virtus corporis elegantiæ, divitiarum copiæ, mentis acumini, scientiarumquè omnium gloriæ facilè antecellit.

3. DICO 2. Exigit secundò dicendi Ordo, ut in extenuando inverso Ordine procedatur, & gravioribus leviora succedant: V. G. Adeò infirmus est hostis, ut tu exercitûs tui robore, virtu-

tis

tis firmitate, vocisquè sonitu eum possis labefactare.

4. DICO 3. In enumerando, ut servetur Ordo, oportet tertiò, quæ naturâ, vel dignitate, priora, vel præstantiora sunt, antecedant posterioribus, & minùs præstantibus: V. G. Dies Nocti, Vir Fœminæ, Oriens Occidenti, præferatur.

5. DICO 4. Exigit quartò Ordo (quod etiã urbanitatis leges imperant) ut cùm aliæ personæ numerandæ sint, ipse loquens postremum occupet locum? V. G. Testatur hoc Cæsar, hoc Marcellus confirmat, hoc Pompejus non negat, hoc ego ipse confiteor.

6. DICO 5. Postulat quintò Ordo, ut vocum insuavium Cacophonia aliarum vocum interpositione, vel vocabuli mutatione declinetur: V. G. Dicatur potius Doctorum opinio virorum, vel, Illustrium virorum opinio: vel, Hominum doctissimorum opinio: quàm Illustrissimorum, aut Clarorum virorum opinio: ne scilicet voces illæ, Illustrissimorum Clarorum Virorum, officiant suavitati.

INSTRUCTIO II.

De Junctura.

7. DICO 1. Junctura est, quæ ex molli, dulciquè Elementorum, Syllabarum, & Vocum coagmentatione Orationem reddit cohærentem, lenem, æquabiliter fluentem, suavem, plenam, sonoram.

8. DICO 2. Ut iuncturæ leges serventur, concursus, & hiatus Vocalium arceatur, quæ ni-

nimis hiulcam reddunt Orationem: V. G. Aura amœnissimæ aureâ ætate omnia arva pervolitabāt: sicut etiam asperi Consonantium concursus, X. præsertim Z, R, T: ut Exercitus Regis Artaxerxis; vel, Rex Persarum Xerxes.

9. DICO 3. Cavendum, ne (saltem sæpiùs) dictio incipiat ultimâ Syllabâ verbi præcedentis: V. G Æquora rauca tuta tacent. Spuma maris risit iterum rumore repercusso. Quamvis id quādoquè Veterum auribus suprà meritum certè placuerit.

10. DICO 4. Dulcem, suaveque fluentem reddet Orationem concatenata Vocalium, & Consonantium in claudendis aperiendisquè vocibus mistura; adeò, ut, si prior dictio claudatur Vocali, subsequens incipiat Consonante; si prior Consonante terminetur, quæ sequitur è Vocali ducat initium: V.G. E cujus ore melle dulcior effluebat Oratio. Sed hæc Regula non est semper nimiùm religiosè observanda.

11. DICO 5 Vitandum ejusdem Literæ crebra repetitio, etiam in diversis Vocibus: V. G. *O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti*.

12. DICO 6. Non continuanda Monosillaba; V. G. Hac in spe, Dux, & Rex, & Plebs hîc sunt. Nequè longæ, & sesquipedales voces sunt condensandæ: V. G. Penetralia peristromatis, seu peripetasmatis undiquè circumornata omnium populorum acclamatione commendabantur.

13. DICO 7. Cavendum, ne talis sit verborum Junctura, quæ obscœnum quid, turpe, aut ridiculum sonet: V. G. Has sinus ille naves habebat: videbitur enim per primas illas voces, Has

Has ſinus, pronunciari „ Aſinus. Leg. Chir. Fortun. Shol. l. 3. de Pronunc. propè finem.

INSTRUCTIO III.

DE PERIODO.

Quid ſit Periodus, & quæ ejus partes.

14. DICO 1. Quam Græci Periodum dicunt, Latini Ambitum, ſeu verborum comprehenſionem appellant: & eſt Oratio in quodam quaſi orbe incluſa percurrens, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſquè ſententiis V. G. Cic. in Ver. (Tantum quiſquè habet in Siciliâ, quantum hominis avariſſimi, & libidinoſiſſimi aut imprudentiæ ſubterfugit, aut ſatietati ſuperfuit.

15. DICO 2. Periodus conſtat Membris, & Inciſis: Membrum, quod Græci Colon appellant, eſt Orationis ſenſus perfectus quidem, ſed ſuſpenſus, qui aliquid adhuc expectat, ut abſolvatur: V. G. (Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; tamen, &c.)

16. Inciſum ſeu Cæſum, græcè comma, eſt pars membri imperfecta ſenſu, ideſt nondum aliquid abſolutè ſignificans: V. G. (Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus) nihil enim abſolutè ſignificat, niſi tandem addatur: eſt viſus, vel, non viſus, vel aliquid æquivalens.

Quotuplex sit Periodus.

17. DICO 3. Periodus alia est simplex alia cõposita. Simplex est, quæ unico absolvitur membro; ideòquè Græcè dicitur Monocolos: V. G. (Ita nationes multæ, atquè magnæ uno quodam terrore, ac metu concitabantur.)

18. Composita Periodus multiplicis generis esse solet: alia enim bimembris seu dicolos, quæ solùm duobus membris constat: V. G (1. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere: 2. sapientiæ, videre multorum civium calamitatem à Republicâ sejunctam esse non posse.

19. Alia trimembris seu tricolos, quæ tribus membris perficitur: V. G. (Nam cùm antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem: 2. Statuerèmquè nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ afferre oportere; 3. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.)

20. Alia deniquè dicitur quadrimembris seu tetracolos, quæ nimirùm quatuor membra complectitur: V. G. ex Cicerone (Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, 2. Tantum in foro, atquè judiciis audacia valeret; 3. Non minus in causâ cederet Aulus Cecinna Sex. Ebutii imprudentiæ, 4. Quantum in vi faciendâ cessit audaciæ.)

21. Quæ quidem Periodus, si ita quatuor mem ris absolvatur, ut rotundissimi orbis instar omnia inter se recurrant: vel itâ, ut duo ultima membra duobus primis ex æquo respondeant; & undecunquè incipias suum semper sensum,

sum, venustatem, atquè integritatem invenias; tunc tornata, aut rotunda, seu quadrata Periodus dicitur: estquè omnium perfectissima. Exemplum habuisti jam ex Cicerone, quod suprà retulimus: ad cujus imitationem est Recentioris Periodus sequens: (1. Si tantum apud te valeret accepti beneficii recordatio, 2. quantum apud me valuit tibi gratificandi studiosa propensio; 3. eandem mihi nunc benevolentiam testareris, adversante fortunâ, meis commodis, 4. quam olim rebus mihi ad voluntatem fluentibus testabaris.

22. DICO 4. Priorem Periodi partem, quæ scilicet suspensa relinquitur, vocari Protasim (alii Prothesim) dicunt, posteriorem verò, quæ sensum absolvit, Apodosim, seu Redditionem: V. G. Protasis (Non enim possunt unâ in Civitate multi rem, atquè fortunas amittere (Apodosis, seu Redditio) ut non plures secum in eandem calamitatem trahant.)

23. DICO 5. Particulæ, quæ ritu aureæ catenulæ Protasim cum Apodosi nectere venuste solent, ille, & similes sunt.

Quamquam, Etsi, Quamvis: quibus respondent; Tamen, Veruntamen, Nihilominus.

Quemadmodum, Sicut, Ut: quibus respondent; Sic, Ita, Non absimili modo.

Non solum, Non modo; quibus respondent; Sed etiam, Verum etiam.

Quoties, cui respondet, Toties.

Qualis, cui respondet, Talis.

Undè, cui respondet, Inde, Eo, &c.

Quo minus, Quo magis, quibus respondent, Eo minus, Eo magis.

Cum

Cum, quam sequitur, Tum.

Est, &c. cui respondet: Non minus, Quam si, non secus, ac si.

Aliæquè id genus innumeræ.

Periodos verò continuare solent Particulæ illæ. Quis Adeòut,

Præterquam quod, Sic, Donec, &c.

De Periodi usu.

21. DICO 6. Circa usum Periodi, cavendum, nè, ut Periodus quadretur, vel rotundetur, inania verba, & mera verborum fulcimenta adhibeantur, itàut puerilem smegmatis ampullam inflare videamur potius, quàm Periodum concinnare. Curandum itaquè, ut non verba solùm, sed res Periodus contineat; vel scilicet argutiam, vel allusionem ad historiam, aut fabulam, vel argumentum, vel narrationem, vel transitionem, vel aliquid ad affectus movendos, atquè excitandos.

25. DICO 7. Cavere præterea, nè in Periodorum structurâ nimiam affectetis industriam, Tulliani præcepti memores, qui de Orat. præcipit; (Nequè numerosa esse debet Periodus, ut Poëma; ne de industriâ factum appareat: nequè extrà numerum, ut vulgi sermo) curandum igitur, ut Periodus facilè, & veluti spontè suâ fluxisse ostendamus. Verùm, ajebat, quamvis in re diversâ. Jacobus Carissimi Musicæ Magister egregius, ut accepi ab ejus discipulo, Hoc facilè ô quam difficile est!

26. DICO 8. Curandum, ut variæ sint Periodi, itàut Oratio modò tractim ducatur, & numerosè fluat, modò distinguatur in membra, mo-

modo feratur per incisa; ne assidua similitudo nauseam pariat.

27. DICO 9. In primo dicendi aditu, & Orationis Exordio solent elegantius adhiberi tornatæ Periodi, quibus Orator se in Auditorum animos blandè, ac suaviter insinuet; nisi forte tale sit dicendi genus, quod dictionis lenitatem omninò recuset; vel obstent laterum firmitas viresquè Oratoris, quibus Periodi construi debent proportionatæ. In Peroratione tamen, ubi affectus sunt penitus expugnandi, non tàm verborum, quàm sententiarnm, non tàm numeri, quàm ponderis habenda est ratio.

Nonnihil de Periodi Interpunctione.

28. DICO 10. Ut antè Periodi notitiam Tyronibus vix possibile est Interpunctionis rationem tenere, ità post illius cognitionem facillimum. Hìc igitur non abs re.

29. DICO 11. Periodum integram Punctum excipiat. Indè si novam Periocham inchoamus, litera sequatur majuscula; quod aliqui Punctum Magnum appellant: sin verò nova Periocha non sit, etiam post Punctum literarum discrimen nullum esto; atquè hoc Punctum iidem Parvum dicunt, licet utriusquè figura, & quantitas omninò eadem V. G. Ego vero fateor me his studiis esse deditum, cæteros pudeat, si qui ità se literis abdiderunt, ut nihil, &c.

30. DICO 12. Post interrogationem Punctum esto Interrngativum: V. G. Ecquis sanæ mentis homo Jesum non diligat? Postquè admirationem Admirativum: licet admirationis no-

tam

tam aliqui pretermittant: V. G. Quanta Tullii suavitas, vis, eloquentia in dicendo!

31. DICO 13. Periodi Membra vel duplici puncto, vel puncto, & virgulâ, vel solâ virgulà interpungi solent. Primo modo, cùm & non brevissima, & ità ferè sensum absolvunt, ut & aliquid affirment, vel negent, nec quidquam expectent: V. G. Erat Italia tunc plena Græcarum Artium, & Disciplinarum: Studiaquè hæc & in Latio vehementer tunc colebantur, quàm nunc iisdem in Oppidis; & hic Romæ propter tranquillitatem Reipublicæ non negligebantur.

32. Secundo modo, cùm & longiuscula sunt, & aliquid expectant: V. G. Ità Tullius Verris astutias sagacitate detexit, ità virtute oppressit audaciam, atquè eloquentia viam penitùs ad defensionem interclusit; ut illum Senatus, Populusquè Romanus, &c.

33. Tertio modo, cùm brevissima sunt, ètsi nihil expectent: V. G. Hilaritate fontes obstrepunt, arbores germinant, aves novum Carmen emodulantur, &c.

34. DICO 14. Incisa passim Virgulà intercluduntur, id est Lineolâ obliquà, quæ ab aliquibus Græco vocabulo vocatur Comma. Virgulis igitur utendum in Membris dividendis in suas partes, ubi præsertim Conjunctionibus, Disiunctionibus, Relativis, & similibus Particulis conjunguntur, vel separantur: V. G. Quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt.

35. DI-

35. DICO 15. Parenthesis perfecta duplici Semicirculo intercludenda: V. G. Ista dùm agebantur (mos est his populis Regem ipsum operto capite alloqui) Rusticus capitis operimento projecto, &c. Imperfecta verò, cùm scilicet Sententiam omninò diversam non continet, duplici virgulâ: V. G. Ea erat, nec fallor, Cæsaris mens.

36. DICO 16. Apostropho, quo indicamus literam rejectam, raro utimur, dùm Latinè scribimus, nec nisi in Comicis, aut similibus ad Veterum imitationem: V. G. Audin? Id est, Audisne? &c.

37. DICO 17. Alii aliter interpungunt. Illos minimè damnare auderem, ut soleo.

INSTRUCTIO IV.

De Numero Periodico.

38. DICO 1. Numerus est ratio quantitatis in Syllabis, quam præcipuè in membrorum initio, atquè accuratiùs in Periodorum clausulis curant Oratores.

39. DICO 2. In Periodi principio placere solet pes Molossus, qui tribus longis constat: V. G. Si quis, Judices. Creticus seu Amphimacer, qui scilicet tribus constat Syllabis, prima longâ, secunda brevi, tertia longâ: V. G. Quod præcatus sum à Diis immortalibus: Pœon primus, qui quatuor habet Syllabas, primam longam, tres alias breves. V. G. Pauca super hac re. Dochimus, qui constat Jambo, & Cretico, hoc est quinque Syllabis prima brevi, secunda longâ, tertia longâ, quarta brevi, quinta longâ: V. G.

No-

Novæ criminationes. Dichoreus, qui duobus conflatur Choreis, hoc est, quatuor Syllabis prima longâ, secunda brevi, tertia longâ, quarta brevi: V. G. Si quis anteà, Judices: quandoquè Anapæstus, qui Dactylus est inversus; tres enim habet Syllabas, primam, & secundam brevem, tertiam longam: V. G. Animadverti, Judices.

40. DICO 3. In fine Periodi laudari solent Creticus præpositus Dichoreo: V. G. Gloriam comparavit: Choreus antè Molossum, hoc est, antè tres longas. A V G. Castra firmarunt? Dochimus, V. G. Reipublicæ. Dispondeus post Jambum, hoc est, quatuor longæ post Jambum: V. G. Reum condemnarunt: Pœon primus, hoc est, una longa, & tres breves antè Spondeum: V. G Esse videatur.

41. DICO 4. Cavendum primò, ne pes idē sæpiùs Monosillaba, vel productiora verba nimìs affectatè claudant Sententiam: Tertiò, ne Periodus claudatur fine Carminis notioris, ut Hexametri, Pentametri, Asclepiadei, &c.

42. Hæc innui, nè vos prorsùs jejunos illarum legum relinquerem, quas alii passim afferre solent. Cæterùm hæc aliáque delicatiora, usu potiùs, atque Illustrium Auctorum, Tullii præsertim, observatione, quàm Regulis & Præceptis, aurium consilio potiùs, quàm Rhetorum monitis perdiscetis.

IN-

INSTRUCTIO V.

De Dilatatione Periodica.

43. DICO: Præter modos Amplificandi, quos suprà recensui, dilatari Periodum docent primò per Adjuncta seu Circumstantias, quæ sępiùs diximus: Secundò dilatando partes omnes, quibus quælibet Præpositio componitur ut diximus in Progymnasmatis, ubi de Chriâ: Tertiò variando Casus nominis illius, quæ est veluti Basis, & fundamentum Orationis: Quartò modos verbi, atquè omnia tempora percurrendo, ita ut in singulis aliquantisper amplificando sistat Oratio. Legite P. Pomey in Candid. Sed in his omnibus Amplificationum generibus cavendum, nè Ars detecta se prodat, quo nihil in hâc Arte displicet magis: & suprà modum vitanda pucrilitas, ut sæpè monui.

EXERCITATIO III.

DE DIGNITATE, SEU ORNATU,

Tertia Elocutionis Virtute.

1. DIgnitatem seu Ornatum Orationi præstant Tropi, & Figuræ, quæ sunt flores, gemmæquè undè distincta, & inspersa nitet, ac veluti coloribus adornatur.

IN-

INSTRUCTIO I.

Quid sit Tropus, & quotuplex.

2. DICO 1. Tropus à Verbo Græco τρέπω, sonat Latinè, Versio seu Mutatio, & est verbi, vel sermonis à propriâ significatione in alienam cùm virtute mutatio. Oportet fit cum virtute, hoc est, cùm laudabili, lepidáque variatione, alioqui deformitas potiùs erit, quàm ornamentum.

3. DICO 2. Quamvis non nemo quatuor dumtaxat Tropos enumeret, ad quos alii reducantur, Metaphoram scilicet, Metonymiam, Synecdochem, Ironiam; Communis tamen opinio, cui, utpotè clariori, subscribo, undecim Tropos agnoscit. Horum septem in uno verbo sistunt; quatuor pluribus, sivè unâ sententiâ continentur. Primi generis sunt Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœja, Catachresis, Metalepsis: Secundi generis sunt Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole.

IN-

INSTRUCTIO II.

De Tropis Verborum.

METAPHORA.

Quid sit, & Quotuplex.

4. DICO 1. Metaphora, Latinè Translatio, seu Translatum, quo Tropus nullus frequentior, florentior nullus, quippè veluti Orationis lumen, & Sydus copiam, majestatem, evidentiam, festivitatem illi conciliat est mutatio cùm virtute propriæ Significationis in minus propriam, propter similitudinem.

5. DICO 2. Quadruplex est Metaphora. Prima ab animato ad animatum: V. G. Homo latrat, in quâ, ut videtis, Latrare transfertur à Cane ad Hominem.


6. Secunda ab animato ad inanimatum: V. G. Caput amnis: caput enim est proprium animalium, & ad amnem transfertur.

7. Tertia ab inanimato ad animatum: V. G. Concentus virtutum: ubi, quod est proprium Soni, ad virtutem significandam vertitur.

8. Quarta ab inanimato ad animatum: V. G. Duo fulmina belli Scipiadæ: in qua fulminis nomen, & significatio ad homines transfertur fortissimos quidem, ac Patriæ Defensores acerrimos.

Quæ Divisio ne vobis memoriâ excidat, placet hanc Figuram subijcere.

Ab



Metaphoræ Virtutes.

9. DICO 1. Prima Virtus Metaphoræ eſt Energia: debet enim vehementiùs rem explicare. V. G Pontem indignatus Araxes.

10. Secunda virtus eſt, ut Metaphora non ſit contraria ſenſibus, hoc eſt, rebus, quas videmus, audimus &c. V. G. Peccaret, ſi quis odorem appellaret floris vocem: vel aquæ præterlabentis ſtrepitum diceret odorem fontis.

11. Tertia virtus eſt, ut Metaphora ſemel ſuſcepta per Allegoriam continuetur, ſi commodè fieri poteſt; ut fecit Horatius Romanæ Reipublicæ Statum explicans ſub Navis Allego-

goriâ. Vel, ut ex unâ ad aliam, non sinè debitâ transitione, & gratiâ procedatur.

12. Quarta virtus est verecundia, cùm nimirùm Metaphora non est nimis audax, ac temeraria, ut esset, si quis Equi furentis spumam iratum Oceanum appellaret: hæc enim Metaphora non modicum audaciæ contineret.

13. Quinta virtus est, ut novitatem aliquam præseferat, & non sit nimiùm decantata. Ideò non semper proferantur eædem, nisi fortè tales sint, quæ olim Metaphoræ, hac tempestate in Vocabula ferè propria cesserint, ut sunt: Lumen pro Oculis; Ardens, pro, Amans, &c.

14. Innovantur autem Metaphoræ, si ex aliquâ tritâ aliam deducas: V. G. Prata rident, trita est, Voca inde flores agrorum, risus, atquè lætitiam; & novam efficies.

Metaphoræ Vitia.

15. DICO: Primum Metaphoræ vitium est per defectum, cùm scilicet intercedit ingens Dissimilitudo, & improportio inter rem, undè transfertur, & ad quam deducitur: ut, si quis Solem appellaret Candelam, vel Montem telluris Verrucam. Quæ Metaphoræ quandoquè permitti possent, si Epitheto aliquo, quod non sit merum Periodi complementum, corrigantur: V. G. Sol vastissima Cæli lampas.

16. Secundum vitium est per Excessum, cùm scilicet nimiùm est portentosa Metaphora, & Hiperbolem ipsam excedit: V.G. Si diceres: Ollulæ æstuantis Infernum. Quod vitium quamplures hodiè Eloquentiæ Corruptores in sacras etiam Orationes, non Italicâ solùm, sed etiam Latinâ Lin-

Linguâ per ſummam licentiam invexêre.

17. Tertium Vitium eſt per Obſcuritatem, cùm nimirùm Metaphora à rebus obſcuris, & ignotis ducitur: V. G. ſi quis Hominem inconſtantem Cycladem diceret: non enim omnibus compertum eſt, Cyclades Iuſulas mobiles eſſe. Si tamen in Orationis decurſu rem aliquam ità explicaveris: Cyclades mobiles eſſe Inſulas, ut id jam Auditorihus ſatìs innoteſcat, non video, cur deindè in ejuſdem Sermonis progreſſu non poſſis ex illâ re jam omnibus notâ Metaphoram ſumere, & ſic E. G. Vìrum inconſtantem Cycladem appellare.

18. Quartum vitium eſt per Multitudinem, cùm ſcilicet multæ ſimul Metaphoræ abſquè ulla moderatione, & prudentiâ, condenſantur.

19. Quintum vitium eſt ex Materia, ſi nimirum ex rebus ſordidis, obſcœnis, indignis Metaphora deſumatur.

20. Sextum vitium eſt, ſi non ſervetur decorum, & talis Metaphora ſit, quæ riſum pariat: V. G. ſi Stellas, cæleſtis cribri foramina; ſi Solem, Venetianum clariſſimum; ſi Aquilæ roſtrum, avium Reginæ Sceptrum appellares, quod ipſe olim audivi non ſinè riſu.

21. Hæ autèm Metaphoræ non ſinè magnâ laude fiunt quandóque ex induſtriâ in Comœdiis, vel aliquâ Compoſitione ad riſum ciendum accommodatâ. Semper tamen decorum ſervetur: & ſi Cocus E. G. loquatur, ridiculæ illæ Metaphoræ Coquinam redoleant: ſi Vir agreſtis, ruſticam rem ſapiant; ſi Miles jactabundus, belli ſtrepitum præſeferant.

22. Ad-

22. Adduut aliqui septimum vitium esse, si ducatur Metaphora ex proprietate, quæ in re non primo loco eluceat; undè damnant Metaphoram illam Pauli Tertii, qua Mediolanum Italiæ Helenam appellavit, quod ingentium bellorum causa inter Cæsareos, & Gallos extiterit. Equidem censeo immeritò damnari Metaphoram illam: quamvis enim in Helenâ magìs, & prius pulcritudo enituerit, quàm Trojani belli causam fuisse, quæ veluti secunda proprietas è pulchritudine ortum habuit; hac tamen tempestate satis superquè lippis etiam, & tonsoribus notum, mihi videtur, ob Helenæ raptum Trojam Græco igne conflagrasse: undè, cùm Metaphora illa non sit obscura, non est, cur absolutè vitiosa censenda sit.

Synecdoche.

23. DICO 1. Synecdoche, Latinè Conceptio, est cùm prò unâ re alia affinis concipitur. Hanc septem modis fieri posse communiter docent.

24. Primò, cùm ponitur Pars prò toto: Ut Puppis, vel Prorà prò Navi.

25. Secundo, cùm Totum prò parte: V. G. Bibi fontem, seu flumen, id est, partem fontis, seu fluminis.

26. Tertio, cùm unus prò pluribus: ut Hostis habet muros, id est, hostes.

27. Quartò, cùm Plures pro uno: V. G. Alexandri, Marcelli, Cæsares, prò Alexandro, Marcello, Cæsare.

28. Quintò, cùm Genus prò Specie, seu vox universalis pro particulari, seu nomen Appellativum loco Proprii: V.G. Monstrum prò Leone, Arbor prò Lauro. I 29.

29. Sextò, cùm Species prò genere, seu res singularis prò universali: V. G. Abies, Pinus, Ornus, prò qualibet arbore, & ligno: Apis Hybloea, vel Hymettia prò quavis Ape: Vinum Falernum, vel Massicum, aut Mamertinum, & Syracusium (hæc enim sunt præstantissima) prò quovis vino.

30. Septimò, cùm sumitur Materia prò re facta, seu composità ex illâ: V G. Orichalcum prò Tubâ: Ferrum pro Ense: Aurum, aut Argentum pro Monetâ.

31. Octavum modum addunt aliqui, cùm scilicèt Antecedentia ponuntur, prò Consequentibus: V. G. ex Virg.

..... Aratra jugo referunt suspensa Juvenci; id est, Nox jam properat. Sed hic propriè Synecdoche Tropus non est, cùm non uno verbo fiat, & potius Argumentum sit ab Adjunctis.

32. DICO 2. Si propriè, ac rigorosè loqui velimus, duobus tantum modis Synecdoche fit, meo judicio; cùm nimirùm sumitur Pars prò Toto, vel Totum prò parte: omnes enim alii modi, quos supra retulimus, ad hos duos reducuntur: nam unum est Pars respectu pluriùm: Genus est Pars Speciei. Materia est Pars totius Compositi. Placuit nihilominus modos illos omnes exponere, ut communem Divisionem sciretis, quæ quidem vobis Adolescentibus magis expedita est, & dilucida.

Metonymia.

33. DICO: Metonymia, Latinè Transnominatiò, seu Hypallage, quæ vox Latiné sonat Immutatio, est, qua unum loco alterius no-

nominatur. Jam sex modis construi potest.

34. Primò, cùm nominatur Causa prò effectu, Inventor prò re inventâ, Auctor prò Libro, seu opere suo: V. G. Sol hic est, id est lux: Virgilium perlego, id est ejus Opera. Sinè Cerere, & Bacco friget Venus, id est absquè pane, & vino incontinentiæ fomes, ut sine pabulo ignis, extinguitur: Ceres enim frumenti, Bacchus vini Inventor dicitur apud Poëtas, & Venus ignium avernalium follis.

35. Secundò, cùm sumitur Effectus prò causâ: V. G. Lux prò Sole, vel Scelestus vir prò scelere: vel cùm Epithetum aliquod, quod effectui competit, ejus Causæ tribuitur: V. G. Pallida mors, quia pallidos reddit homines.

36. Tertiò, cùm Continens prò re contentâ: V. G. Dolium prò vino, amphora prò aquâ; vel jecur prò amore, splen prò risu, os prò verbis; nisi tamen has velis harum passionum causas potius esse, quam sedes.

37. Quartò, cùm res contenta prò continente: V. G. Illi vina coronant, id est pocula, in quibus vina continentur.

38. Quintò, cùm sumitur Possessor prò re possessâ: V. G. Jam proximus ardet Ucalegon, idest domus Ucalegontis.

39. Sextò, cúm Signum prò re significatâ: V. G. Fasces prò Magistratibus, palma prò victoriâ, turba prò bello, toga prò pace.

Antonomasia.

40. DICO 1. Antonomasia, quæ Latinè Pronominatio dicitur, seu Commutatio nominis, est, cùm loco nominis proprii Epithetum ponimus,

vel Titulum, sivè sit nomen Adjectivum, sivè Substantivum, quo ex Accidentibus rem explicamus.

41. DICO 2. Illa præsertim his modis fieri potest.

42. Primò à rebus benè, vel malè gestis: V. G. Cartaginis eversor, id est Scipio.

43. Secundò à dignitate, munere, epitheto, titulo, arte, prærogativâ, quà quis fuerit Illustrifs.: V. G. Romanæ Eloquentiæ Princeps, id est Cicero: Indiarum Apostolus, id est Divus Franciscus Xaverius.

44. Tertio à Patriâ, Regione, seu Loco, quo quis fuerit veneratione habitus: V. G. Cypria, seu Erycina, id est Venus: Delius, id est Apollo.

45. Quartò à Parentibus, seu Majoribus: & hûc reducuntur Patronymica: V. G. Tros Anchisiades, id est Æneas Anchisæ filius &c. de quorum vi, formatione, usu, varietate, consulite P. Placidum Spadafora, meum doctissimum Preceptorem, qui hæc omnia eruditissimè tractat in suo Libello de Patronym.

46. DICO 3. Antonomasiis utendum usitatis, vel quæ ad Veterum imitationem formatæ sint, non sinè Sale, & prudentiâ: vitandus illarum usus immodicus, & ferè assiduus, præsertim in citandis Auctoribus, & Sanctis Patribus, qui juniorum Concionatorum est Scopulus. Leg. P. Ant. Vieira Serm. in Sexag. §. 5.

Onomatopœia.

47. DICO: Onomatopœia, quæ latinè nominis fictionem sonat, est cùm fingitur nomen, seu verbum, quod, ob similitudinem, ipso sono

ex-

exprimere videtur rem significatam: V. G. Bombus, id est Apum sonus; Baubatus, Latratus, id est vox canis; Taratantara, idest sonitus tubæ, & similia, quæ imitatus quidam Hetruscus Poëta, tympani vocem effinxit, ubi cecinit:

E nel sentir Tarapatà marciò

Catacresis.

48. DICO 1. Catachresis, Latinè nominis abusionem significat, & est, cùm abutimur Significatione alicujus rei ad aliam significandam: V. G. Vir gregis, id est caper; Sperare prò timere; vel cùm Parricidam dicimus nonsolum, qui Patrem, verùm etiam qui matrem, fratrem, aut sororem occiderit, qui potiùs matricida, fratricida, sororicida dicendus esset: Vel cùm hominem nullius valoris, animum exilem, tenuem, vel parvum habere dicimus; animus enim, cùm quantitatem non habeat, nequè exilis, nec tenuis, nec parvus est.

49. DICO 2. Differt Catachresis à Metaphorâ, quià nimis libera est, & audacior: Metaphoræ verò virtus est verecundia. Secundò addunt aliqui differre, quia Catachresis rei non habenti nomen accommodat alienum, Metaphora vero rei habenti proprium.

Metalepsis.

50. DICO: Metalepsis, Latinè Transumptio, est, cùm ex unâ re nominatâ aliam deindè, & aliã gradatim intelligimus. Exemplum afferri solet ex Virgilio.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Id est post aliquot annos: ex aristis enim ad spicas, è spicis ad segetes, è segetibus ad messes

è messibus ad Æstates, ab Æstatibus ad Annos intelligendos ascendimus. Qui Tropus rarus omninò est, & Poëtarum magis propriùs, quàm Oratorium.

INSTRUCTIO III.

De Tropis Sententiarum.

ALLEGORIA.

51. DICO 1. Allegoria, quæ Latinè idem sonat, ac Inversio, Permutatio, seu alius sermo, est Oratio, quæ aliud verbis, aliud sensu significat: V. G.

Claudite jam rivos, pueri sat prata biberunt; id est Carminibus modum ponite: illis datum est satis.

52. DICO 2. Allegoria duplex est, una pura, altera mixta: pura est, cùm totus sermo est continuata Metaphora, seu singula verba sunt Metaphorica. Talem esse jam diximus Horat. Odem 4. lib. 1. quæ sub Navis Allegorià Romanam Rempublicam explicat.

O Navis referent in mare te novi
Fluctus o quid agis? Fortiter occupa
Portum &c.

53. Allegoria mixta est, cùm verba partim sunt propria, partim Allegorica: V. G. Motus illi populares Tribunitiis flatibus agitati fœdam Reipublicæ tempestatem excitarunt.

54. DICO 3. Ad Allegoriam reducitur Ironia, id est Simulatio, sivè Illusio, quæ est sermo, quo irridendo, vel insultando Contrarium significa-

ficamus, ac verba ſonent: V. G. Cicero in Clodium: Integritas tua te purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit: id eſt, Tua te ſcelera, imprudentia, improbitas damnarunt.

55. Jam ad Ironiam reducitur primò, juxta Farnabij ſententiam, Antiphraſis, quæ rem per contrarium ſignificat, ut cùm Parcam dicimus à non parcendo, &c. Sed cùm hoc non ſemper fiat illudendo, vel inſultando, & ſepiùs unico verbo, ad hunc Locum non videtur pertinere.

56. Secundò reducitur ad Ironiam Charientiſmus, cùm ſcilicèt lepidis verbis irati viri minas lenire, vel irridere conamur. V. G. ſi, dùm quis velit contrà aliquem ſtringere gladium, hic dicat: Ne facias, Quæſo, aliter pluet.

57. Tertiò reducitur ad Ironiam Aſteiſmus, qui eſt urbanus quidam, ac facetus jocus: V. G. Tu ſobrius es: auribus vinum non bibis.

58. Quartò Sarcaſmus, qui eſt jocus quidam amarus, acerbus, & pungens, quo hoſti inſultantes illudimus. V. G. Satia te tuorum Civium ſanguine. Vel:

..... En agros metire jacens.

59. Quintò Nictaciſmus, qui eſt Subſannatio quædam, quæ potiùs fit geſtu, quàm voce, ut ſi quis alium aſpiciens, & explicatâ manu aſininam auriculam fingens, ut non raró pueri ſolent, ſibi aurem, vel naſum tangeret dicens: O Salve hominum doctiſſime, ſapientiæ caput, Alpha doctorum, &c.

60. DICO 4. Ad Allegoriam reducitur etiã Ænigma, quod eſt Sententia tecta obſcuris verbis, de quo ſuo Loco in Arte Poëtica: V. G.

Mitto tibi Navem prorâ, puppiquè carentem id est mitto tibi Ave.

Periphrasis.

61. DICO: Periphrasis, quę Latinè redditur Circumlocutio, seu verborum Circuitio, est, quę explicat pluribus verbis id, quod uno, aut paucioribus absolvi putuisset: V. G. Aliquem benevolentiâ complecti, prò amare. Sic Virgilius volens explicare ortum Solis, illâ circuitione usus est, quam hodiè explanavimus.

Postera vix summos spargebat lumine Montes.
Orta dies, cùm primùm alto se gurgite tollũt.
Solis equi, lucemquè elatis naribus efflant.

Hyperbaton.

62. DICO 1. Hyperbaton, Latinè Transgressio, seu Transpositio, est, cùm permutatur ordo verborum.

63. DICO 2. Dupliciter fieri potest; primò, cùm duo verba, quę continuari debuerant, alterâ dictione interpositâ, separantur: V. G. ex Cicerone: Animadverti, Judices, omnem Accusatoris Orationem in duas divisam esse partes; id est, divisam esse in duas partes. Vel: Per te Deos oro; id est, Oro te per Deos: quæ quidem ordinis Inversio fit quandoquè nullo interposito alio vocabulo, ut sunt, mecum, tecum, quocum, vobiscum, nobiscum, aliaquè, & vocari solent Hysteron Proteron, cùm scilicèt præcedit vox, quæ subsequi debuisset.

64. Secundò fieri potest Hyperbaton, cùm unica vox dividitur in duas partes, aliâ voce interjectâ; quæ à Grammaticis vocatur Tmesis, & ad Poëtas pertinet magìs, quàm ad Oratores: V. G. Se-

G. Septem subjecta trioni : id est, Septentrioni : Vel, Hac Troiana tenus, id est, hactenus.

Hyperbole.

65. Hyperbole, Latinè Superjectio, seu Superlatio, est, cùm res maximè augetur, vel imminuitur suprà fidem : V. G.

Sublimi feriam sydera vertice.

Vel : Plura bella gessit, quàm alii legerunt : plures Provincias confecit, quàm alii concupiverunt. Vel : Vix ossibus hærent.

INSTRUCTIO IV.

DE FIGURIS.

Quid sit Figura, & quotuplex.

66. DICO 1. Figuræ à Græcis dicuntur Schemata ; sunt enim veluti formæ, & pulchra Orationis pigmenta. Jam definitur Figura : apta quædam Oratio à communi usu loquendi remota.

67. DICO 2. Differt Figura à Tropo, ut differt genus à specie : quilibet enim Tropus Figura dici potest, cùm sermo sit à communi loquendi usu remotus : non tamen quælibet Figura Tropus est : cùm præter Tropos multis etiam aliis modis possimus à communi, vulgariquè loquendi usu recedere : seu enim propriis, sivè impropriis utamur vocibus, construere poterimus Figuram : Tropum verò plerunquè nonnisi verbis minùs propriis efformabimus ; si Hyperbaton excipias, quod verbo etiam proprio, dummodo locus sit improprius, fieri potest.

68. DICO 3. Duplex Figurarum genus invenitur, primum Verborum, secundum Sententiarum. Verborum Figuræ sunt, quæ in uno verbo sistunt: Sententiarum verò, quæ in pluribus verbis. De hoc duplici Figurarum genere, ordine suo, breviter agendum,

INSTRUCTIO V.

DE FIGURIS VERBORUM.

Et primo de illis, quæ fiunt per Adjectionem.

69. DICO 1. Figuræ verborum fieri possunt primò per Adjectionem, secundò per Detractionem, tertiò per Similitudinem, quartò per Dissimilitudinem.

70. DICO 2. Figuræ præcipuæ, quæ fiunt per Adjectionem, sequentes enumerari solent.

Repetitio.

71. Repetitio est, cùm idem verbum sæpius repetitur in principio Periodi, membri, vel incisi. V. G. ex Cicerone: Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas. Et ex eodem: Testis est Italia, quam ille &c. Testis est Sicilia, quam &c. Testis est Africa, quæ &c. Testis est Gallia, per quam &c. Testis est Hispania, quæ &c. Testis est iterum, & sæpiùs Italia, quæ &c. Testes verò omnes jàm oræ, atquè &c.

Conversio.

72. DICO: Conversio est, cùm idem verbum sæpiùs repetitur in fine Orationis, vel Sententiæ: V. G. ex Cicerone: Doletis tres exer-

exercitus, populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos Cives? eos quoquè eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus Ordinis afflicta est? afflixit Antonius.

Complexio.

73. DICO: Complexio dicitur, quæ cùm Repetitionem, tùm Conversionem continet, & est, quæ idem verbum sæpiùs repetit in principio, & pariter in fine Sententiæ, vel incisi. V. G. Cicero: Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem Populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis Comitiis præfuit? idem Rullus. Vel ex eodem: Quem Senatus damnavit, quem Populus Romanus damnavit, quem omnium existimatio damnavit, eum Sententiis vestris absolvetis?

Conduplicatio.

74. DICO: Conduplicatio, seu Geminatio, seu Iteratio, est, cùm idem verbum, vel plura bis repetuntur in eâdem dictione; quod fieri potest primò absquè ullâ interruptione, V. G. Cicero: Fuit ista quondam in Republicâ virtus. Secundo aliquo verbo, vel multis interpositis V. G. ex eodem. Cùm vestros portus, atque eos Portus, quibus vitam, & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate sciatis.

Anadiplosis.

75. DICO. Anadiplosis, seu Reduplicatio, est species quædam Conduplicationis, quæ fit cùm eadem vox est principium Carminis, seu Periodi subsequentis, quæ finis fuerat superioris: V. G. ex Virg.

Pierides, vos hac facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus Amor &c.

Et ex Cicerone: Nunc etiam audes in horum cō-spectum venire, proditor Patriæ? Venire audes in horum conspectum?

Epanalepsis.

76 DICO: Epanalepsis, seu Resumptio, est etiam Conduplicationis species, & fit, cùm eadem Sententia, seu Versus, eâdem voce incipit, & finem habet: V. G. Ex Virg.

Ambo florentes ætat bus, Arcades ambo.

Vel ex Cicerone: Multi, & graves dolores inventi Parentibus, & propinquis multi.

Traductio.

77. DICO: Traductio, quam aliqui nonnunquàm Polyptoton appellant, est casuum Cōmutatio, seu temporum, aut generis; cùm nimirùm idem nomen, seu verbum sæpius repetitur, mutatis tamen Casibus, Temporibus, aut Generibus V. G.

Mors Mortis Morti Mortem nisi Morte dedisset,
A Vita Vitæ non data Vita foret.

Vel ex Cicerone: Qui nihil habet in vitâ jucundius vitâ, is cùm virtute vitam non potest colere. Huc etiam reducitur Allusio, cùm nimirùm verba æquivoca proferuntur. V. G. Veniam ad vos, si mihi Senatus det veniam.

Regressio.

78. DICO Regressio, seu Reversio, similis Prolepsi Grammaticorum, est, quæ duo, vel plùra dicit, deinde eadem repetit, & ità clarè distribuit, ut cuiquè aliquid aptet: V. G. ex Ovid.

Demophoon, ventis, & vela & verba dedisti:

Ve-

Vela queror reditu, verba carere fide,

Synonymia.

79. DICO : Synonymia, seu Communio nominis, quam non nemo Polyonymiam vocat, est, cùm ponuntur plura verba idem significantia. V. G. ex Cicerone : Abijt, Excessit, Evasit, Erupit.

Polysyndeton.

80. DICO : Polysyndeton, id est, multiplex Coniunctio, est sermo plures Conjunctiones cõtinens : V. G. Teque, tuique similes, tibique caros, & aspernor, & aversor, & execror. Vel ex Virg.

.... Tectumquè laremquè.

Armaque, Amyclæumque canem, cressamque pharetram.

Gradatio.

81. DICO : Gradatio, seu Ascensus, seu Scala, ut nonnulli vocant (dicitur à Græcis Climax) est, cùm gradatim ex uno verbo ad aliud sursùm versùs tendimus : V. G. ex Cic. Si stas, ingredere : si ingrederis, curre ; si curris, advola, &c. Et ex eodem : In Urbe luxuries creatur ; ex luxuriâ existat avaritia necesse est, ex avaritiâ erumpat audacia, &c.

Figuram hanc, utpote perquàm decoram, valdè commendat Demosthenes.

Disjunctio.

82. DICO 1. Disjunctio, seu Disjunctum, fit, cùm quælibet Orationis pars suo verbo clauditur, cùm unum fuisset satis : V. G. ex Cic. Studia Literarum Adolescentiam alunt, Senectutem oblectant, secundas res ornant, &c. & ex eodem Homerum Colophonij Civem esse dicunt suum :

Chij suum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant.

83. DICO 2. Volunt aliqui Figuræ hujus usum esse debere absque Conjunctionibus, qua de causâ eam intèr Figuras illas, quæ fiunt per Detractionem, reponunt,

INSTRUCTIO VI.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Detractionem.

ADJUNCTIO.

84. DICO 1. Adjunctio, quam alii Conjunctionem, Grammatici Zeugma, appellant; est Figura Disjunctioni contraria, cum scilicèt unum verbum regit plura membra, vel Sententias, vel incisa. Quòd si vox illa, quæ plura regit, sit initio, vocari solet Protozeugma: V. G. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Si in medio, vocatur Mesozeugma: V. G. Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate. Si in fine, dicitur Hypozeugma: V. G. Nulla libido ab illius corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à sceleratissimis ejus factis umquam absuit.

85. DICO 2. Cùm verbum, aut nomen, quod plures regit Sententias, numero, personâ, genere, aut casu mutari debet, ut benè hęrere intelligatur, tunc Figura illa vocari solet Syllepsis: V. G. Ego timore, ille, risu corruit. Intelligendum enim est, ego corrui timore, ille corruit risu.

86. DI-

86. DICO 3. Eadem Figura, si duo Contraria contineat, quæ unico verbo regantur, dici solet Synœciosis: V. G. Quandoque tàm loquendo, quàm tacendo peccari potest.

Synecdoche.

87. DICO: Synecdoche. quam Grammatici Eclipsim, & alij Defectionem appellant, Figura quidem, & non Tropus ille, de quo suprà loquuti sumus, est, cùm verbum aliquod omittitur, quod facilè subintelligi potest: V. G. Cic. Sermo nullus, nisi de te; subintelligitur, habetur. Virgilius: Quo te, Mœri pedes? subintelligitur, ducunt.

Asyndeton.

88. DICO: Asyndeton, id est Dissolutio, quam aliqui Articulum appellant, cùm plura efferuntur absquè Conjunctionibus: V. G. ex Terent. Ætas, metus, Magister prohibebant.

INSTRUCTIO VII.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Similitudinem.

ISOCOLON.

89. DICO: Isocolon, seu Compar, Figura est, quæ ità Orationis partes metitur, ut constent eodem ferè numero Syllabarum: V. G. Cicero: Tam difficile bellum Pompejus extremâ hyeme apparavit, ineunte Vere suscepit, mediâ æstate confecit.

Similiter cadens.

90. DICO: Similiter cadens Figura est, cùm plu-

plures Sententiæ ijsdem casibus, vel temporibus efferuntur. V. G. Quid tàm commune, quàm spiritus vivis, Terra mortuis, litus ejectis?

Similiter desinens.

91. DICO Similiter desinens est, cùm plures Sententiæ simili sono, atquè exitu terminantur: V. G. ex Cic. Non modò ad salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam infringendam

Paronomasia.

92. DICO Paronomasia, seu Annominatio (Italicè Bisticcio) est, cùm verba paululum immutata, ac deflexa ponuntur: V. G.

Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes.

Jàm immutari poterunt verba per alicujus Syllabæ, aut Literæ Adjectionem, Detractionem, Variationem, Transpositionem, seù Inversionem, & Anagrammatismum. Verum in hujus usu maximè fugienda puerilitas.

Dubitatio.

93. DICO: Hûc revocant aliqui Dubitationem, quæ est, cùm Orator dubitare se dicit, quò nomine aliquid appellet: V. G. Cicero: Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum, & insaniam; ut Siculi, latrocinium. Ego quo nomine appellem nescio: rem vobis proponam: vos eam suo nominis pondere penditote.

Correctio.

94. DICO 1. Correctio est, quâ tollitur, seu emendatur id, quod dictum est, & pro eo Verbum magis idoneum reponitur: V. G. Terentius: Filium unicum habeo. Ah! quid dixi me habere? immo habui, Chreme. Et Cicero: Sed

Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Idem: O clementiam Pop. Romani, ſeu potius patientiam ſingularem.

95. DICO 2. Si corrigitur Verbum, Correctio pertinet ad Figuras Verborum: ſi integra Sententia, ad Figuras Sententiarum.

INSTRUCTIO VIII.

De Figuris, quę fiunt per Diſſimilitudinem.

CONTRAPOSITUM.

96. DICO: Contrapoſitum, ſeu Antitheſis, ſivè Antiteton, quam Cicero Contentionem appellat, eſt, cùm in Oratione verba verbis, vel ſingula ſingulis, vel bina binis, vel terna ternis opponuntur: Exemplum eſt, quod ſuprà attulimus: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Cohabitatio.

97. DICO: Cohabitatio eſt, cùm Verba conjunguntur, ſecum videntur pugnare: V. G. Sanctè novo quodam gloriæ genere ingloriam ſibi vitam elegêre.

Anaclaſis.

98. DICO: Anaclaſis, ſeu Commutatio, & Reflexus, eſt, cùm quod dictum fuit, in alium, aut contrarium ſenſum excipitur. Hujuſmodi eſt illud Proculejanum apud P. Rut. Lupum: Proculejus Filio ajebat: Bonis meis utere, ut lubet, nè meam mortem expectes, id eſt deſideres. Cui cùm Filius, non ſe Patris mortem expectare; ei Proculejus: Immò verò, inquit, minimè me-

meam mortem expectes, sed nec moræ impatiens, properes moliri, ut ocyùs moriar. Ad hanc Figuram revocat P. Causs. illud Platonis : Felix erit Resp. si aut qui sapiunt, imperare; aut qui imperant, sapere discant.

Acyrologia.

99. DICO : Acyrologia, sivè Acyron est, cùm utimur Voce impropriâ, rejectâ propriâ : seu meliùs, cùm utimur vocabulo, quod videtur minimè convenire : V. G. Virgilius :

. . . . *Tantum sperare dolorem*.

id est timere.

Antiphrasis.

100. DICO : Antiphrasis, seu Contradictio seu Contralocutio, est, cùm nomen ponimus alicui rei, quæ proprietatem contrariam habet, ac nomen illud significet : V. G. Parca à non parcendo; Bellum, quia fœdum; Lucus, quià non lucet, &c.

Commutatio.

101. DICO : Commutatio est, cùm duæ Sententiæ diversæ, vel contrariæ proferuntur, quarum una proficiscatur ab alterâ : V. G. Non vivo, ut dormiam; sed dormio, ut vivam.

Discriminatio.

102. DICO : Discriminatio est, quę differentiam ostendit inter res, quæ alioqui similes videntur V. G. Non sapiens, sed astutus; non severus, sed crudelis; non liberalis, sed profusus.

Relatio.

103. DICO : Relatio est, cùm plura præcedunt Verba, quorum singulis totidem respondentia subsequuntur : E.G. afferri solet vulgatum Illud

illud scriptum, vel ascriptum Virgilio:

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi.
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Id est: Ego Pastor pavi capras fronde, Arator colui rus ligone, Eques superavi hostes manu.

INSTRUCTIO IX.

De Figuris Sententiarum.

104. ILlæ sunt ferè innumeræ. Equidem magis præcipuas, utilesquè seligam. Reliquæ vel parvi momenti, vel non nisi rarò adhiberi solent, vel ad has, quas vobis aperiam, referuntur.

Apostrophe.

105. DICO: Apostrophe, Latinè Aversio, fit, cùm ab Auditoribus sermonem avertimus, & ad alium verba dirigimus sivè absentem; quandoque etiam ad rem inanimatam, sive personam fictam: V. G. Cicero: Te nunc alloquor, Africane, cujus &c. & Virgilius:

Musa, mihi causas memora, quo Numine læso.
Quidvè dolens Regina Deum &c.

Idem:

Quod si fata Deum, si mens non læva fuisset.
Trojaque nunc stares, Priamique Arx alta maneres.

Interrogatio.

106. DICO 1. Interrogatio, vel Erotema, Figura est, cùm non interrogandi, sed alicujus affectus exprimendi causâ percontamur.

107. DICO 2. Nullus ferè est Affectus, qui per Interrogationem exprimi nequeat: nàm.

108.

108. Primò exprimere possumus affectum instandi, sivè arguendi. V. G. Virgilius:

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum,
Excipere insidijs?

108. Secundò dolorem, seu commisserationem excitandam. V. G. Virg.

. . . . *Quisnam locus inquit Achates.*
Quæ regio in terris nostri non plena doloris?

109. Tertiò Exclamationem cùm dolore: V. G. Virg.

Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt.
Accipere? aut quid jam misero mihi deniquè restat?

110. Quartò Admirationem, vel exclamationem cùm admiratione: V. G. Virg.

. . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

111. Quintò Imperium acre V. G. Virg.

Non arma expedient, totaquè ex Urbe sequentur?

112. Sextò invidiam: V. G. Medea apud Senecam:

Quas petes terras, jubes?

113. Septimò Dubitationem, vel nosmet excitandi, rogandiquè vim: V. G.

. . . . *Quid agam, aut quæ jàm satis ima dehiscat;*
Terra mihi?

114. Octavò indignationem, seu concitandæ indignationis motum: V. G. Virg.

. . . . *Et quisquam numen Junonis adoret Præterea?*

Et

Et Cicero in Pisonem: Jam ne vides, bellua jam nè sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ;

115 Nonò Negationem: V. G. Corvus acanthida, bubo lusciniam cantus dulced ne superabit!

116. Decimò Affirmationem V. G. Psal. 93. *Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?*

117. DICO 3. Interrogatio magnam vim habet, cùm multæ Interrogatiunculæ ad animum alicujus veluti arietandum condensantur, adeò vehementes, & crebræ, ut nè quidem illum respirare permittant: V. G. Terentius. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cùm illo rei tibi est.

Responsio.

118. DICO Responsio est, cùm aliquid interroganti aliud diversum respondemus, ut rem vel omninò negemus, vel augeamus, vel minuamus: V. G. Quis interrogatus, an hominem occidisset? respondit: Latronem; quo homicidium imminuere intendebat. Sic etiam cùm quidam Anacharsim interrogasset, an in Scythiâ essent tubicines? respondit: Ne vites quidem: quò negare voluit tubicines ibi esse, homines plerumquè vino natos, ubi nec vites tellus progeneraret.

Subjectio.

119. DICO 1, Subjectio, quam aliqui Dialogismum appellant, est, cùm adversarium, vel nosmetipsos interrogamus, & nos ipsi respondemus.

120. DICO 2. Hæc Figura fieri potest primò,

mò, adhibendo veram Reſponſionem, ſecundò falſam, quam impugnemus:

121. Primi generis Exemplum eſt ex Cicer; Quid tàm novum, quàm Adoleſcentulum privatum exercitum difficili Reipublicę tempore conficere? confecit: præeſſe? prçfuit: rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit.

122. Secundi generis Exemplum eſt ex eodem: Quid me facere conveniret, cùm à tantâ hoſtium multitudine circumſiderer? An dimicarem? at cùm parvâ manu cùm prodiremus, locum quoquè inimiciſſimum habebamus. Sederem in caſtris? at nequè ſubſidium, quod expectarem, habebamus; nequè erat, quo vitam produceremus. Caſtra relinquerem? aſt obſidebamur. Vitam militum negligerem? at eos videbar eâ accepiſſe conditione, ut, quoad poſſem, incolumes Patriæ, & Parentibus conſervarem. Hoſtium conditionem repudiarem? at ſalus antiquior eſt militum, quam impedimentorum.

Anteoccupatio.

123. DICO: Anteoccupatio, quam aliqui Occupationem, alii anticipationem vocant, eſt cùm ea, quæ dici, vel cogitari contrà nos poſſent, prævidemus, & præveniendo ſolvimus. Quæ Figura in Exordiis, maximè generis Judicialis, locum habet ad extirpandas ſuſpiciones contra Oratorem, & Reum. V. G. ex Cicerone: Credo ego vos, Judices, mirari, quid ſit, quod, cùm tot ſummi Oratores, hominesquè nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimùm ſurrexerim, qui &c. quæ me igitur res prçter cæteras impulit, fuit &c.

Cor-

Correctio.

124. DICO : Correctio diversa ab illâ, quam diximus in Figuris Verborum, est, quæ destruere videtur Sententiam antecedentem, atquè illam emendare, & corrigere aliâ Sententiâ magìs idoneâ: V. G. Christus flos campi inter tormenta fasciculus Myrrhæ esse maluit, quamquàm flore quolibet myrrha hæc dulcior sit, atquè suavior. Tanta enim dulcedo videtur destruere, quod dictum fuerat, nempè Christum esse fasciculum Myrrhæ, quæ amarissima est.

Dubitatio.

125. DICO : Dubitatio est, cùm Orator dicit ambigere se, quid agendum, dicendumvè sit: V. G. Scipio apud Livium: Apud vos, quemadmodum loquar, nec consilium, nec Oratio suppeditat, quos nec quo nomine appellare debeam, scio. Cives ? qui è Patriâ vestrâ descivistis? An milites ? qui imperium, auspiciumquè abnuistis ? Sacrati ? Religionem rupistis? Hostes? corpora, vestitum, habitum Civium agnosco : facta, dicta, consilia, animos hostium video. Hanc alii etiam Dialogismum appellant.

Communicatio.

126. DICO : Communicatio est, cùm vel Adversarios ipsos, vel Judices consulimus. V. G. Cicero : Nunc ego vos, Judices, consulo, quid mihi faciendum putetis.

Hypotyposis.

127. DICO : Hypotyposis, quam quidam Energiam, Evidentiam, Repræsentationem, Descriptionem nuncupant, est, quæ rem ità exprimit, & veluti penicillo colorat, ut illa non le-

gi,

energiâ rem profert, ut Nomina præfertim, & Pronomina plus fignificent, altioremque præbeant intellectum, quàm verba fonent; V. G. Virgilius:

Aſt Ego, quæ Divùm incedo Regina Joviſque.
Et ſoror, & conjux, &c.

Huc reducitur illud Joan. 13.ubi Divus Petrus Chrifto Domino dixit: *Tu mihi lavas pedes*? Id eft, Tu Dei filius, cæli terræquæ arbiter fummus, ac moderator, &c. mihi mifero, ac pauperi, vilique vermium generi, &c.

Apoſiopeſis.

132. DICO 1. Apofiopefis, qnam nonnemo Reticentiam appellat, eft, quæ plus auget filendo, quàm fi narraret: & fit, cùm ea intrà nos fupprimimus, quæ dicturi videmur. V. G. Virgilius:

Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus.

133. DICO 2. Reticetur aliquid, vel ut ad alia, quæ inftant, properemus, ut in Exemplo allato Virgilij: vel propter indignitatem, & turpitudinem, ut in Eclogâ 3. ejufdem: vel, ut res gravior putetur: nam quæ latent, graviora æftimari folent, ut Satyricus ille.

Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum.
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Veteres fuperftitiofi aliquid nonnunquàm reticebant, quòd mali Ominis effe videretur, ne mala avis interveniret

Præteritio.

134. DICO; Præteritio, feu prætermiffio, vel Omiffio, quàm Cicero Reticentiam etiam appellat, eft, cùm dicimus aliquid libenti animo

prætermittere : vel nescire , quod tamen tunc maximè dicimus V. G. Prætereo diminutionem vectigalium , prætermitto latrocinia , silentio obruam homicidia,&c.

Sustentatio .

135. DICO : Sustentatio est , quâ suspendimus animos Auditorum , & postquàm alia recensuimus, ac rejecimus , tandem aliquid inexpectatum proferimus (quâ Figurâ non sinè gratiâ utuntur Poetæ in Epigrammatum Clausulis) V. G. ex Cicerone : Quid deinde ? quid putatis? furtum fortassè , aut prædam expectatis aliquam nolite usquequaque eadem quærere , &c. Deindè cùm Cicero jamdiu animos suspensos retinuisset , rem addidit multò magis improbam , ac detestabilem .

Licentia .

136. Licentia est , cùm Orator profitetur se liberè dicturum res alioqui graves , Judicibus, vel nonnemini ingratas, sibiquè dicenti periculosas : V, G. ex Cicerone ; Vos , Patres Conscripti (grave dictu est , sed dicendum tamen) vos, inquam ; Sulpitium vitâ privastis ,

Concessio .

137. DICO : Concessio est, cùm aliquid,etiam iniquum , difficillimum , aut impossibile ultrò concedimus , ob fiduciam rei , quam probare conamur . V. G. ex Cicerone : Sit sacrilegus , sit fur , sit vitiorum , flagitiorumquè omnium princeps , &c. tamen , &c.

Concessio .

138, DICO : Promissio est, quâ operam suam, vel Auditorum , vel alius alicui pollicetur Orator .

tor V. G Cic. Omnes tibi, C. Cæsar, non modò excubias, & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositas pollicemur.

Distributio.

139. DICO: Distributio, quam Voëllus Digestionem vocat, est, cùm Sermo in plures veluti partes distribuitur, quarum unicuiquè aptum aliquod verbum respondeat: V. G. Cùm aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus, cùm autem conligendum esset cùm hostibus fortissimus; cùm verò præmium dignis tribuendum, liberalissimus.

Parenthesis.

140. DICO: Parenthesis est, cùm in Sententiâ aliquid interponitur, quod ad ipsam non pertinet, sed nequè est omninò alienum: V. G ex Cic. Sinite hoc loco, Quirites (sicut Poëtæ solent qui res Romanas scribunt) præterire me nostram calamitatem. Sed hæ Parentheses, si crebræ sint, fastidium pariunt; si nimìs prolixæ, Orationem obscurant.

Deprecatio.

141, DICO: Deprecatio, vel Obsecratio, vel Obtestatio, est, cùm opem alicujus imploramus. V. G. Cicero: Per dexteram te istam oro, Cæsar, quam Regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram non tàm in bellis, & in præliis, quàm in promissis, & fide firmiorem.

Execratio.

142. DICO: Execratio, seu Imprecatio, est, quà malum alicui precamur: V. G. Deus te perdat, fugitive.

Detestatio.

143. DICO : Detestatio, seu Abominatio, est, cùm aliquid, vel aliquem detestari ostendimus: V. G. Apagesis, homo inique.

Optatio.

144, DICO : Optatio est, quâ nos aliquid desiderare significamus: V. G. ex Cic. Utinam, Quirites, virorum fortium, atquè innocentium copiam tantam haberetis ut &c.

Epiphonema.

145. DICO: Epiphonema, seu Acclamatio, est sententia quædam reflectens suprà rem narratam, vel probatam, reiquè totius summam complectens: V. G. ex Virg.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Quæ quidem Figura Epigrammatum Clausulis valdè apta est.

Exclamatio.

146. DICO 1. Exclamatio, est quæ alicujus affectûs vehementiam exprimit per re cujuspiam compellationem: ad quam Figuram Particulæ illæ. O, Heus, Heu, Proh, & similes, adhiberi solent, licet quandoquè omittantur.

147. DICO 2. Exclamatio exprimere potest primò Indignationem : V. G. O. tempora, ò mores?

Secundò Dolorem: V. G. O me miserum! ò me perditum! ò me afflictum! ò me infelicem!

Tertiò Commiserationem: V. G. Heu canos sanguine cruentatos! heu vestem laceram! Cæsar invictissime, invictissime Cæsar!

Quartò Admirationem: V. G. Proh DEUS Immortalis!

Quin-

Quintò Lætitiam: V. G. O diem illum insolitâ luce clarum! Vel, O mi Frater, ô mi germane! Sed hanc aliqui Exultationem dicunt.

Permissio.

148. DICO 1. Permissio est, cùm adeò certam putamus rem, quam probare contendimus, ut eam judicio Auditorum, nonnunquam Adversariorum etiam, arbitrio relinquamus: V. G. Sed ego meæ caussæ jus omitto: vobis, quod æquissimum videatur, ut constituatis, permitto.

149. DICO 2. Volunt aliqui Figuram Permissionem esse, cùm nos, vel nostra, vel alios, vel aliena alterius potestati concedimus: V. G. Quoniam, omnibus aliis rebus ereptis, solùm mihi superest animus, & corpus; his utamini, abutamini, ut vultis: dicite, obtemperabo.

Consentio.

150. DICO Consentio est, cùm rebus ab Adversario dictis assentimur, sed deindè illas in eundem retorquemus: V. G. Fuit judicium corruptum, sed ab Oppianico, non à Cluentio.

Pleonasmus.

151. DICO: Pleonasmus, seu Redundantia, Græcè Parhelcon est, cùm non necessitatis, sed vel majoris asseverationis, vel amplificationis gratiâ, ponuntur verba alioqui superflua: V. G. ex Virg.

. . . . *Roseo sic ore locuta est.*

Epiploce.

152. DICO: Epiploce est, veluti Gradatio quædam Sententiarum, cùm scilicet ex primâ sententiâ ponitur secuuda, ex secundâ tertia, ex tertiá quarta, & sic deinceps, adeò ut illæ veluti

& Sanctorum doctissimus semper habitus est.

Adhortatio.

156. DICO; Adhortatio est, cùm graviter, & vehementer Auditorum animos ad aliquid agendum impellimus: V. G ex Virg.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Asseveratio,

157. DICO: Asseveratio est, quâ à nobis dicta asseveramus, interponendo auctoritatem, & fidem, adhibito nonnunquam jurejurando: V. G. Cic. Audebo etiam obligare fidem meam:

Vel Virg.

. . . . *Maria aspera juro.*

Vel: quæ quidem ego, nisi esse magna fatear, amens sim.

Ominatio.

158. DICO: Ominatio, seu Prædictio, quam alii Criminationem, Julius Ruffinianus Diabolem appellat, est quasi Denunciatio eorum, quæ futura sunt: V. G. Cic. Erit illum profectò tempus, & illucescet aliquandò ille dies, cùm tu &c. Vel Terent. Video iàm illum diem, quo hinc egenus profugiet aliquò militatum.

INSTRUCTIO X.

De Usu Figurarum.

159. DICO 1. Circà Figurarum Usum illud moneo ex P. Jugl 1. obser. 21. peccare illos, qui magis artificiosas frequentius, ac par est, sectantur: quiquè sepiùs longioribus Enumerationibus (multò magìs si non admodùm ad rem) Ascensus, & Descensus coordinant (Itali vocant

vocant Saliscendoli) ità ut, postquàm multa enumerarint, ea omnia inverso, vel mutato ordine sæpè resumant. In quo olìm se juniorem peccasse ultrò fatetur Panigarola jàm senior.

160. DICO 2. Figurarum igitur usus sit rarior, nè vilescat. Figuræ sint flores, & gemmæ, quibus Oratio inspergatur, non adumbretur: si secus fiat, ut ille olìm Helenam suam, Divitem, non Pulchram Orationem effecerimus.

161. DICO 3. Si copiosiorem vultis Figurarum nomenclaturam, adhibito etiam cuiquè illarum Græco Vocabulo, legite Aquilam Romanum, & Pub. Rutilium Lupum è Gorgia de Elocut. & Figuris, nec non P. Cauſ. Eloq. Lib. 7.

RHE-

RHETORICI AGMINIS RECENSIO.

SEU

DE MEMORIA.

QUARTA RHETORICÆ PARTE.

I.

ELOQUENTIÆ copias Memoriæ operâ recensemus: Memoria enim rationum, atquè argumentorum phalanges mentis albo notatis suo ordine vocat in Campum. Sic Cyrus olim Persarum Rex sui Exercitûs numerosissimi milites singulos, proprio quemquè nomine, Memoriâ retinebat.

EXERCITATIO UNICA

INSTRUCTIO I.

Quid sit Memoria, & quotuplex.

2. DICO 1. Memoria est rerum inventarum ac verborum firma recordatio. Duplex est; Naturalis una, Artificialis altera. Naturalis est facilitas quædam animo percipiendi, ac reti-

retinendi, indita à naturâ; Artificialis est, quæ arte comparatur.

3. DICO 2. Quod ad naturalem Memoriam spectat, cùm illud sit gratuitum naturæ donum, nihil à nobis tradi poterit, nisi quomodo illa adjuvetur, atquè excolatur, quod sequenti Instructione præstabimus.

4. DICO 3. Quod ad Memoriam artificialem; multa de eâ tradunt nonnulli docentes artificium Memoriæ per Loca quædam, Figuras, Simulacra, Porticus, Palatia, Viridiaria, atquè id genus, Signa. Equidem de Memoriâ artificiali duo dumtaxat vobis aperiam: Primum in illis signis, atquè imaginibus in animo collocandis plus Memoriæ requiri, quàm mediis illis possit acquiri: secundum in hac Memoriâ artificiali exercenda maximum periculum esse, ne nimiâ imaginationis vi, atquè applicatione fessum caput elangueat.

INSTRUCTIO II.

Quomodo Memoria Naturalis adjuvari possit.

5. DICO: Ut facilius rem Memoriæ mandemus, primò illam rectè funditusquè intelligamus.

6. Secundò, si aliquid ex Librò, aut alieno Scripto Memoriæ committendum est, id facilius à nobis fiet, si prius manu propriâ transcribamus.

7. Tertiò, si totam Orationem dividamus in partes, quibus singulis vel Numerum, vel Litteram Alphabeti, vel nomen Divi alicujus tutelaris, vel signum aliquod in margine annotemus, V. G. Stellam, si de rebus cœlestibus ibi agitur,

tur, Piscem, si de maritimus; Ensem, si de bellicis &c. Et, si quis locus difficilis sit suprà cæteros, ut memoriæ mittatur, signo aliquo speciali notetur, aut grandiore.

8. Quartò, Tempus Memoriæ laboribus maximè opportunum est matutinum. Juvabit tamen antè somnum Orationem attentè perlegere, ut statim matutino tempore è somno exciti repetamus. Cavendum tamen, nè id fiat post Cœnam; nam capiti nocebit quàm maximè.

9. Quintò, Locus solitarius, ab omni strepitu liber, ubi non tacitè discendum, sed voce quadâm submissâ; nam vox nimìs elata Memoriam obturbat.

10. Sextò, postquàm Memoriæ jàm mandasse videmur, expedit illam sæpius elatâ voce, nec sinè gestu recitare; cùm contingat non raró, ut, ubi Pronunciatio, & Gestus accedant, Orationis obliviscamur, quàm taciti memoriter tenere videbamur, nam ut ajunt.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

11. Septimo, quotidiè, si fieri potest, Memoria exercenda, non tamen elongo temporis spatio, sed aliquid intermittendum, ut caput quiescat, ac recreetur.

Circa cibos, qui Memoriæ prosunt, vel nocent, Medicos consulite: & immodicum Bacchum, atquè Tabaccum, ut pestem, fugite.

ANIMORUM AGGRESSIO,

SEU

DE PRONUNCIATIONE, VEL ACTIONE

QUINTA ET POSTREMA RHETORICÆ PARTE.

I.

IAM Rhetoricis armis inventis, dispositis, Elocutionis fulgore nitidis, Memoriâquè in Campum vocatis, unum superest, ut nimirùm Orator per Pronunciationem, & Actionem Animorum Arcem aggrediens, illam tandem aliquando expugnet, ac Affectus in vincula, compedesquè conjiciat, qui ultimus est Militis Rhetorici, & Eloquentiæ Triumphus,

EXERCITATIO UNICA

QUoniam Pronunciatio, seù potius Actio, est Corporis, & vocis ex rerum, verborumquè dignitate Moderatio; duas habet partes, Vocem scilicet, & Gestum. Jàm, quamvis tàm Vo-

Vocis, quâm Gestûs moderandi facilitas cùm lepore, & gratiâ (quam paucis æquus concessit Jupiter) Naturæ beneficium sit, Ars tamen, atquè Exercitatio Naturæ donum perpolire potest, vel Oratoris defectum, ac vitium non parùm quandoquè corrigere, ac emendare: Sit igitur.

INSTRUCTIO I.

De Voce.

3. DICO 1. Ut Vox per aures ingressa triumphet animum, meminissè oportet dicentem Oratorem esse, non Musicum. Itaquè in Oratione loquendum, discurremdumquè est, non canendum. Energia, atquè Emphasis in rebus explicandis est adhibenda, nè languens Oratio Auditoribus vel fastidium, nauseamquè, vel somnum incutiat.

4. DICO 2. Mutanda est Vox, quoties Affectus mutandus erit: Nam

Voluptas vocem effusam, teneram, remissam, lenem desiderat.

Molestia, & Dolor gravem, atquè uno Sono deductam efflagitat:

Iracundia Vocem amat incitatam, acutam, crebroquè incidentem.

Mœror, & Miseratio flebilem, flexibilem, interruptam exigit.

Timor, & Metus demissam, hæsitantem, abjectam.

Audacia, & Impetus voce exprimuntur elatâ, tensis nervis, quæ non vana sit, inanis, aut ludens.

5. DI-

5. DICO 3. Vitium erit, si ultimæ Syllabæ in gutture, semisepultæ remaneant, vel non benè labris, linguàquè efformentur; si unius Vocis finis ità cùm alterius principio conjungatur, ut ambigere possit Audiens unanè, an plures voces illæ fuerint, Peccabis tandem, si Adjectivum, aut Adverbium, quod uni voci hæret alteri voci in pronunciando apponas.

6. DICO 4. In exordio non protinùs vasta Vox erumpat, sed potiùs subtimida. & verecunda (quod juvat etiam ad captandam Benevolentiam) & paulatim exurgat.

7. In Propositione vox sermoni familiari sit similis: sicut etiam in Narratione, aut Expositione alicujus facti, sed paulò apertior, atquè aliquo Affectu aspersa: ubi vel ipsa Cantûs umbra vitanda est.

8. In Orationis cursu varianda Vox est cùm ipsâ Orationis varietate.

9. In Argumentatione vegetior sit oportet. Et cùm pugnandum est turbâ Argumentorum, vel rerum, ipsâ etiam voce urgendum.

10. In Epilogo vocem de industriâ infringendam docet Farnabius, nè dissimilis sit Orationi Orator. Et cùm in Epilogo maximè moveri debeant Affectus, vox est prò ipsorum varietate inflectenda, ut diximus suprà.

11. DICO 5. Præceptum illud, quod toties à me repetitum audistis, iterùm hìc opportunè suggero, ne scilicet quid affectatè agatur, quo nihil in hac Arte magìs periculosum.

12. DICO 6. Aliqui cibos præscribunt ad Vocis conservationem idoneos. Sed hæc ad Me-

dicos potiùs, quàm ad Eloquentiæ artis Magistros pertinent.

INSTRUCTIO II.

De Gestu.

13. DICO 1. Gestus est quædam muta vox, & corporis eloquentia, quæ per oculos animum aggreditur. Non nimius sit, ut Scenicus; nec, ut ità dicam Gladiatorius, nè Mimum potiùs, quàm Oratorem gravem præseferat: non enim necesse est, immò dedecet, singulis verbis suum Gestum apponere. Nec nimiùm vastus fiat, ut humeros, & caput superet, vel faciem manu tangat. Nec statim cùm primis verbis Exordii, sed post aliquam Sententiam, incipiat.

14. DICO 2. Dextera erit præcipua in Gestu; Sinistra verò Manus, quæ non nisi dexteræ comes, atquè administra esse debet, nunquam sola adhibenda, nisi per contemptum, ut advertit P. Payot. Digiti non teneantur distincti, sed uniti, non tamen arctiús, quàm par est, sed modo quodam naturali. Pollex, & Index compressi, & inter se hærentes sæpè adhiberi solent, ptæsertim in Sententiis explicandis, atquè in asseverationibus.

15. DICO 3. Oratoris status sit erectns, & celsus: quamvis quandoquè sedere soleant recentes Concionatores, nè prolixâ Oratione defatigati languescant. Incessus sit rarus, nec nimis prolixus.

16 DICO 4. Vitium erit creber verticis, aut digitorum motus, frontis, rugæ &c. sicut etiam vitium erit, si quis faciem, nares, vel

aurem

aurem nominans, illa sibi tangat, sed sufficit faciem manu designare. Sicut etiam, si Cælum, vel Infernum nominamus, non opus est velle manibus tectum, vel pavimentum attingere, sed sufficit talia loca graviter indicare.

17. DICO 5, Cùm de se Orator loquitur, in se manum ducat; cùm aliquid ostendit, id poterit Indice designare. Cavendum, nè cùm exprimere volumus verberantem; vel pulsatam januam, latera comprimamus, vel verborum strepitum imitemur. Aperta manu uti quandoque permittunt, pugno autem uti mordicus prohibent Auctores, præsertim Veteres, nè quidem si Cestum velis exprimere. Pedum supplosionem quandoquè concedunt (sed raró) in contemptionibus. invectivis &c.

18. DICO 6. Gestui suffragetur vultus, animi speculum, oculiquè, quos Demosthenes animi lucernas appellavit: debent enim oculi affectus illos inducere, quos Orator intendit excitare: itaquè in indignatione scintillent: in dolore lacrymis madeant, non tamen affectatis; nè rigeant aperti nimis, nequè tremuli nictent: & manum inter gestiendum semper comitentur, adeò ut, quò se illa ferat, eò oculi deferantur.

19. DICO 7. Juvabit, maximè Juniores, antè publicam Actionem privatim proludere: ubi solent pleriquè, nec frustrà, Speculi, vel melius fidelis Amici consilium adhibere: difficilè enim cuiquè est proprios defectus agnoscere, &, vel ipsos intuendo non cæcutire.

MI-

MILITIS RHETORICI SUBSIDIARIÆ COPIÆ,

SEU

AD ELOQUENTIÆ ARTEM APPENDIX.

1.

MILITEM Rhetoricum Subſidiariæ Copiæ ſubſequuntur : Eloquentiæ nimirum Arti aliquas Tractationes adjungimus , quæ nec parvi ponderis ſunt , nec exiguo emolumento , uſui, ac delectationi vobis futuræ.

EXERCITATIO I.

DE ELOGIO,

Et , ex Occaſione , aliquid de Inſcriptione.

2. SEmper equidem ſum admiratus, quòd nonniſi perpaucos legerim , qui aliquid de Elogio tetigerint, cùm tamen hac tempeſtate mirum, quantùm ſint in uſu, & placere ſoleant Elogia , utpotè brevitate , atquè argutiarum lepôre ditata ;

quæ

quæ duæ res, atque dotes mirà quadam vi omnium animos alliciunt, rapiùntque. Sit igitur prò modulo nostro.

INSTRUCTIO I.

Quid, & quotuplex sit Elogium.

3. DICO 1. Elogium, si rigorosè loqui velimus, est illustris viri, vel personæ laus brevior: quamvis transferatur etiam ad laudem, & brevem, commendationem rei alicujus etiam inanimis, ut Encomium.

4 Duplex est Elogium, unum totius vitæ seriem, alterum unum tantummodò, vel aliqua alicujus facinora, exornans.

5. DICO 2. Seu totam vitam, sivè unicum, vel nonnulla facinora complectatur Elogium, dividitur etiam in Oratorium, Historicum, & Lapidarium. Oratorium est breve quoddam Encomium, quo in Oratione, præsertim exornativâ, utuntur Oratores: Historicum est, quod more Historico vitam, vel illustre facinus alicujus refert; in Historiarum Libris apponendum: Lapidarium est, quod lapidibus incidendum contexitur.

INSTRUCTIO II.

Elogii Stylus, atque Artificium.

6. DICO 1. Oratorium Elogium Phrases, Stylùmque desiderat Oratorium, paulò tamen floridiorem, nec citrà Oratoris decôrum, & gravitatem: Periodos amat sonoras, non tamen ni-

nimiùm turgidas, & inflatas: Patheticum est, & affectum continet: nec solet, moderatas inter argutias, plura themata commutare,

7. DICO 2. Historicum Elogium stylum amat Historicum, id est Narrationibus accommodatum, elegantem, nitidum, atticum, sæpius æquabili lenitate fusum, non rarò dulciter asperum, nec nimis elaboratum, aut numerosum; atquè in argutiis Oratorio liberiorem.

8. DICO 3. Lapidarium Elogium, quod hac tempestate, veluti per Antonomasiam, Elogium dicitur, stylum habet Medium, solutæ quidem Orationis, ferè Poëtico affinem, quìque vergat ad Jambici Carminis sonum. Laconicam amat brevitatem, Salibus, Tropis, Allegoriis, Oppositionibus, Æquivocis, (interpunctione quandoquè variâ, vel vocibus decurtatis lepidum, vel mordàx non rarò æquivocum oritur in Elogio) Allusionibus, Sententiis, Reflexionibus, maximè politicis, omniùmque florum, atquè Argutiarum fulgore conspicuum, & concinnum. Respuit tamen Phrases Oratorias: perpolitas Periodos recusat: plures sermonis fibulas, & particulas, vel transitiones non curat; amat enim inprimis Laconismum, utpotè legentium oculis, non Auditorum auribus natum.

9. DICO 4. Hujus generis Elogia, quippè Inscriptionis species, per Clausulas, & Sententias interruptas scribi solent debitâ cùm interpunctione. Veteres tamen [testibus antiquis lapidibus] vel nulla Interpunctione utebantur, vel singulis verbis punctum interponebant.

10. DICO 5. Cavendum, nè Claritas adeò no-

nobis amica his in Elogiis lapidariis scopulum offendat. Errant, errant profectò, profectò cæcutiunt, qui vulgari ignorantiâ laborantes, ut aliquid clarum legunt, pedestre autumant; ut obscurum, quod vix intelligant, sublimè jactitant, & acutum. Argutiæ possunt esse lepidæ, sublimes, ingeniosæ, & insuper claræ. Quid Sole altius? quid Sole ipso lucidius; Hic operæ pretium esset, ad argutias comparandas viam aperire, sed id fusè præstabimus, favente Numine, in Arte Poeticâ, cùm de Epigrammate.

INSTRUCTIO III.

De Inscriptione aliquid notatur.

11. DICO 1. Quæ de Elogio diximus, de aliis etiam dicta puteris Inscriptionibus, quæ solutâ Oratione fiunt, & omnem fere materiam amplectuntur: eundem enim Stylum, floresque recipiunt, nisi fortè rei explicandæ gravitas adeò breves exposcet, ut nonnisi necessariis verbis claudantur. Sic fieri solent brevissimæ Inscriptiones in Urbium Portis, Publicis Ædibus, Basilicis, Arcubus triumphalibus, Mausoleis, &c Et omnis quidem Inscriptio, si prolixa sit, vitiosa reputabitur; debet enim esse talis, ut lapidibus insculpta possit à Viatoribus commodè, quamvis obiter, legi.

12. DICO 2. Eædem servandæ in Epitaphiis Leges. Sed de his in Arte Poëticâ.

IN-

INSTRUCTIO IV.

Elogiorum Exempla nonnulla.

Oratorii Elogii fragmentum Ex Cicerone.

De Martiæ Legionis Militibus inter vincendum occisis.

13. O Fortunata mors, quæ naturæ debita, prò Patriâ est potissimùm reddita? Vos verò Patriæ natos judico, quorum etiam nomen à Marte est: ut idem DEUS Urbem hanc gentibus, vox huic Urbi genuisse videatur. In fugâ fœda mors est, in Victoria gloriosa, Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemquè pignerari solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas Parricidii luent; Vos verò, qui extremum spiritum in Victoriâ effudistis, piorum estis sedem, & locum consequuti. Brevis autem vobis vita data est: at memoria benè redditæ vitæ sempiterna. Quæ si non esset longior, quàm hæc vita, quis esset tàm amens &c.

Historici Elogii Fragmentum Ex Tacito in Galbam; Ab Emanuele Thesauro per Clausulas divisum, ac Tabulis datum.

Hunc exitum habuit Sergius Galba: Tribus, & septuaginta annis quinque Principes emensus. Alieno imperio felicior, quam suo.

Illi

Illi vetus Nobilitas : magnæ Opes : medium Ingenium.
Magis extra vitia, quàm cùm Virtutibus.
Famæ nec incuriosus, nec venditor.
Pecuniæ alienæ non appeténs, suæ parcus, publicæ avarus.
Amícorum, libertorùmquè,
Ubi in bonos incidisset, sinè reprehensione patiens:
Ubi in malos, usquè ad culpam ignarus.
Sed Claritas Natalium,& metus temporum obtentui.
Ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur; Dum vigebat ætas,
Militari laude apud Germanias floruit Proconsul Africam moderatè,
Jam senior Citeriorem Hispaniam pari justitiâ Continuit.
Major privato visus dum privatus fuit.
Et omnium consensu,
Capax Imperii, nisi imperasset.
Ubi, ut videtis, Elogium hoc, cùm sit historicum, est sincerum, Historiæ naturam imitatur, & veritatem amat, non nihil, quod laudem obscuret, interserens.

Lapidarii Elogii Paradigma.
Ex P. Aloysio Juglaris

De Alexandro Bertio.

Effætum seculum,
Annum jam agens nonagesimum tertium,
Sterile utiquè perire debuerat;
Non

Non igitur, nisi ut prodigia pareret,
Fœcundum fuit.
Edidit in uno ALEXANDRO BERTIO
Nec pauca, nec contemnenda,
Pueritiam senilem, pudicam Pulchritudinem,
Amœnitatem severam, robustam
Facilitatem,
Aloysum Gonzagam, biennio antè sublatum,
Nè tàm rara in Adolescentibus Exempla
Perirent,
Reddere Providentia festinavit.
Suspicax Pythagoreus ALEXANDRI
ortum.
Metempsychosim diceret Aloysii;
Adeò utriusquè & amores, & mores,
Non tàm fuerunt similes, quàm ijdem.

Aliud.

Sine floribus nunquam Florentia est,
Apud quam, è * Violis Lilia, * *Allas. ad*
Etiam in Autumno, nascuntur. *Matris*
Ephebum honorarium MARIN *nomen*
Traxisse in eâ credas ab origine genium;
Cùm communem penè cùm illâ,
Et Conceptionis diem habuerit, & Natalis.
Prævivit Phosphorus Soli,
Quem secutus mox est,
Defuturus horoscopo suo.
Quoties promissam in illo Animam
Non dedisset.
Enituêre progressus vel initiis.
Castissimus.
Non nisi Cælum regente Virgine
Beneficium Lucis admisit. 14.

14. Tandem Exemplum Elogii afferam ex P. Francisco Carrerâ nostræ Societatis, quod quidem omnibus esse debet gratissimum, vobis præsertim, ac mihi: omnibus, quia omnium laude dignissimum, utpotè acutum æquè, ac nitidum, & sublime, numerisquè omnibus absolutum: vobis, quia Deiparæ Epistolam ad vestros Majores missam refert: mihi tandem, quia mei doctissimi Præceptoris calamo exaratum in suo Pantheo Siculo nuper Genuæ in lucem edito.

Memoria Epistolę Virginis DEIPARÆ ad Messanenses,

Elogium Historicum.

15. Quod quæris, intus adest in Tabellis. Panoplia, si militas: Cinosura, si navigas; Narthecium, si ægrotas: Aurifodina, si miser es. Nil mirum. Quæ scripsit hanc epistolam manus, Felicitatis Chrysomagnes fuit: eàmque totam inter scribendum in has literas transfudit. Delicias nè quære ampliùs: amœnitatum omnium hîc venam habes. Quot literulæ tot cælestis Elysii flores, tot Galaxiæ sunt faces. Atquè è Galaxiâ raptam crediderim fuisse paginam; è florum purpurâ, vel potiùs è siderum radiis aureum liquorem, literarum notis effingendis expressum. Quid ultrà sipario rem tegimus? Post Mamertinam legationem benignissimè à se auditam, Magna Mater ministerio Cælitum usa, hanc suâ excusam manu Epistolam ad Messanenses transmittendam dedit, quæ illis pestiferæ Contagionis amuletum,

atquè

atquè in adversis rebus omnibus tutela ingens olim foret. En suavissimus Divinæ Virginis Literas, non tàm auro, gemmisquè incidi dignas, quàm omnium præcordiis exarandas.

MARIA VIRGO JOACHIM FILIA,
DEI HUMILLIMA CHRISTI JESU
CRUCIFIXI MATER,
EX TRIBU JUDA, STIRPE DAVID,
MESSANENSIBUS OMNIBUS
SALUTEM,
ET DEI PATRIS OMNIPOTENTIS
BENEDICTIONEM.

16. Vos omnes, Fide magnâ, Legatos, & Nuncios, per publicum documentum, ad nos misisse constat. Filium nostrum DEI genitum, DEUM, & Hominem esse fatemini, & in Cælum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli electi prædicatione mediante, viam Veritatis agnoscentes. Ob quod Vos, & ipsam Civitatem benedicimus, cujus perpetuam Protectricem Nos esse volumus.

Anno Filii nostri 42. Indictione 1. 3. Nonas Junii, Luna 26. Feriâ 5. ex Hierosolymis.

MARIA Virgo, quæ suprâ, confirmat præsens Chirographum manu propriâ.

Sed dùm hæc legis, nè luge: autographum nescio quo maximarum rerum fato amissum. Celum fortasse rapuit. Habuissent enim in terris, inter legendum, mortales adhuc oculi suam Apotheosim.

Inscriptiones Ludiera.

17. Quoniam autem sunt, & huiusmodi Inscriptionibus sui lepôres, & sales; illorum Exemla subnectam.

In quadam Academiâ cùm Princeps Elogium construi imperasset in Senatorem Petrum Paulum Paruta de Patriâ suâ benemeritum, quod tamen solis 33. vocibus P. incipientibus, ludendi potiùs, quàm componendi gratiâ, efformaretur; quidam ingeniosus, ac promptus ità statim deprompsit, ut ex cujusdam Recentioris Libello transcriptum habeo:

Pietro Paolo Paruta
Prode Prudente Previdente
Produsse Palme Per Patria, Piantando
Palma
Publico Propugnaculo
Provido Presidio Per Premunire Principal
Provincia.
Pellegrino, Posa:
Passeggia Per Potente Piazza:
Pensa,
Prefiggi Premj Per Paruta;
Poi Parti.

18. Ad cujus Imitationem festivus Recentior Petro Paulo cuidam Piro Pictori petenti signum aliquod, quo imagines à se depictæ dignoscerentur, adhibe, ait, X. Græcorum cùm P, vel PPPPPPPPPP, quæ sunt decem literæ P. Latinorum: illæ enim significare commodè poterunt Vernaculo Sermone.

Petru Paulu Piru
Poviru Pitturi
Pingi Pupi
Pri Pocu Prezzu.

In-

Inſcriptio Mordax
Ex Em. Theſ.

Didij Orcelli Terraconenſis Epitaphium erat:

HIC SIT EST
DID. ORCELL.
NOB. FAM NAT.
QUI CIVIL. BELL.
LAUD. IN ARC. ET CASTR. MER.
OBIIT.
AN. ÆT. LV.

Id eſt: Hic ſitus eſt Didius Orcellus, nobili Familiâ natus: qui Civili Bello, laudem in Arce, & Caſtris meritus, Obiit Anno Ætatis Quinquageſimo quinto.

Quod, paucis Literis interpoſitis, ita in Satyram invertit neſcio quis:

HIC para SIT. EST
SorDID. pORCELL.
igNOB. inFAM. damNAT.
QUI, inCIVIL BELLua,
cLAUDI in cARC. ET CASTRari MER.
malè OBIIT.
ANimal fÆT. LVT.

Quod hoc, vel ſimili modo per ſummum decus, legi, poſſet:

Hic Paraſitus eſt, ſordidus porcellus, ignobilis, infamis, damnatus, qui incivilis bellua, claudi in carcere, & caſtrari meritus, malè obiit, animal fœtidum, lutulentum.

EXER-

EXERCITATIO II.

DE ORATIONE IN PARTICULARI.

I.

QUÆ diximus de Oratione in communi in Arte Rhetoricâ, & dicemus de Silvâ in Arte Poëticâ, sat essent ad quodlibet Orationis genus contexendum. Sed, ut facilitati vestræ consulam, vestrisquè annuam Votis, & precibus, nonnulla brevissimè addam de Oratione in particulari.

INSTRUCTIO I.

De Panegyrico

2. DICO I. Panegyricus est Oratio Demonstrativi Generis in laudem alicujus personæ, virtutis, vel rei. Totum ejus operæ pretium est, ità rem illam laudare, ut maximam de eâ opinionem ingerat Auditoribus; itaquè tota ipsius vita, gesta, actiones illustres, dotes proprietates, effecta, laudesquè omni erunt in medium proferendæ; nihil, clarum præsertim, ac singulare omittendum. 8. DI-

3. DICO 2. Tota difficultas in Panegyricis est Methodum invenire, quà res, alioqui diversæ, atquè inter se disparatæ, in unum colligentur, non sine ordine, ac symmetriâ, ut singulæ, una post aliam, aureâ transitionis fibulâ, opportunè connectantur.

4. DICO 3. Juvabit totum Panegyrici assumptum, seu thema in partes dividere, duas, tres, vel quatuor, præsertim in Concionibus sacris. Sic Cicero in Oratione prò Lege Maniliâ, ut Pompeium optimum Imperatorem demonstret, Imperatoris dotes quadrifariam dividit, scilicet in Scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem, Felicitatem: quas omnes inesse probat Pompeio: undè infert, illum, utpotè optimum, eligendum. Sic E. G. Volo Divum Franciscum Xaverium Paulo Apostolo similem commendare; dicam: Tribus enituit Paulus, Prædicatione ad gentes, Charitate in suos, Doctrinâ, quâ Christiani nominis hostes prosternebat. Jam his omnibus Xaverius etiam enituit (quod, vitæ totius seriem evolvendo, probandum erit) poterit igitur Xaverius par Divo Paulo nuncupari.

5. DICO 4. Id agunt passim Recentiores, non sinè plausu, per Metaphoram, aut Similitudinem, delectam quidem, novam, nec importunam, sed aptam; in qua semper servandum decôrum: nec à rebus sordidis, aut vilibus petenda. V. G. Volo Divum Ignatium Cæli Orthodoxi Solem appellare; dicam: Tribus conspicuum esse Planetarum Regem: Primò quòd Cælo affixus: Secundò, quod Orbem illuminet, atque calore foveat: Tertiò, quod in Visceribus Terræ au-

rum progeneret. Hæ erant Ignatii propriæ dotes: nam Primò cogitatione, atque amore Cælo semper intentus vivebat: Secundò Orbem totum Orthodoxæ fidei luce, ac divino amore, sparsâ per Orbis ambitum JESU Societate, illustravit, incenditquè: Tertiò, Virtutum omnium auro, gemmisquè ditavit Orbem: Ignatius igitur Sol jure quidem optimo dici poterit,

6. DICO 5. Panegyrici stylus omnem Eloquentiæ florem desiderat: eruditiones, ut gemmas, non respuit. Cavendum tamen, nè puerilis, aut Poëticus fit: néve Orator inter verborum, atquè eruditionum phaleras, vitæ, ac laudum rei, quam commendat, oblivifcatur.

7. DICO 6. In Panegyricis sacris solet Thema aliquod præferri desumptum ex Sacris Literis, quod nostro sensui quadret: V. G. si Divum Ignatium Solem vis appellare, assumere poteris prò Themate ex Psalm 18. *In Sole posuit tabernaculum suum*. Sed Recentiores id quandoquè prætermittunt. Legite, quæ diximus de Encomio in Præexercitamentis.

INSTRUCTIO II.

De Oratione Genethliaca, seu Natalitia.

8. DICO 1. Hæc est Oratio, quæ in alicujus incunabilis, vel cùm natalis recurrit dies recitatur, Hanc aliqui Lustricam dicunt, cùm impositi Nominis laudes continet.

9. DICO 2. Continere solet auspicia, & laudes Parentum, ac personæ, cui fit Genethliacum.

10. DICO 3. Auspicia sumuntur à loco, indito no-

nomine, tempore, die, & aliis Circumstantiis, quæ præcesserint, vel Ortum subsecutæ fuerint. Itàque considerandus est locus, in quo natus est Infans, Anni pars, & dies; si nimirùm Ver fuerit, vel dies festus, & faustus. Et quidem Calendæ Natali felices æstimabantur, sicut etiam dies sextus, & septimus: præterea nonus, utpotè Soli sacer, & decimus quintus, quippe Minervæ dicatus, & plenilunio illustris, aliaquè adjuncta etiam simili modo percurrenda.

11. DICO 4. Parentum, Familiæque laudes reduci possunt ad auspicia: illustris enim arboris fructum illustrem futurum ominabimur.

12. DICO 5. Laudandus puer in bonis animi, & corporis, quæ vel indicat, vel præsefert, quibus bona fortunæ superaddenda augurabimur. Itaquè.

13. DICO 6. Tandem Peroratio, & Votum, ut DEUS omnia fortunet, claudat Orationem.

INSTRUCTIO III.

De Oratione Nuptiali.

14. DICO 1. Illa est Oratio in Nuptiis recitari solita,

15 DICO In primis Exordium fieri poterit officiosum, ac Gratulatorium. Secundò laudandum Naturæ institutum de Nuptiis, à DEO primo earum Inventore, à naturâ ipsâ fœcunditatis amante, etiam in brutis, & plantis: ab ipsarum Nuptiarum honestate, & effectibus, quod speciem quandam Immortalitatis inducant: à variis adjunctis, & utilitatibus, quæ indè proveniunt,

ut temperantia, affectus prolixior erga Patriam, arctius necessitudinis vinculum, miseriarum humanarum facilior tolerantia ex Societate; & Conjugio &c.

16. DICO 3. Feliciorum Connubiorum Exempla afferenda.

17. DICO 4. Votum sequi debet prò Nuptiarum Felicitate, & Concordiâ. Discordiæ radices detestandæ, avertendæque Omen, & Vaticinia de Illustrioribus Liberis (ubi locum habere poterunt Exempla de filiis, qui Parentes suos illustrarint) subsequantur.

18. DICO 5. Laus Conjugum sit præcipua hujus Orationis pars. Laudantur autem bona animi, corporis, fortunæ.

19. DICO 6. Repetatur tandem in Orationis Coronide communis Lætitia, Omen, & Vaticinium de excellentiâ filiorum; hoc enim Conjugum, præsertim Illustriorum, pectori præcipuum desiderium stimulat.

INSTRUCTIO IV.

De Epithalamio.

24. DICO 1. Hanc Orationem confundunt nonnulli cùm antecedenti, cùm quâ est ferè eadem, nisi quià hæc, perfectis Nuptiis, recitabatur ad Thalamum undè nomen sortita.

Secundò præcipuæ Conjugum laudes breviter tangendæ:

Tertiò eorum affectus, & studium, & diligentia in Nuptiis conciliandis:

Quartò Populi, Affinium, Urbis lætitia, ac plausus, & spes ex his Nuptiis: Quin-

Quintò ipsarum celebritas:

Sextò tandem sequatur Hortatio ad perpetuam Concordiam. Hoc opus, hîc labor est.

INSTRUCTIO V.

De Eucharistico, seu Gratiarum actione.

22. DICO 1. Hæc est, cùm Benefactori gratias agimus: in quâ tria facienda, scilicet primò beneficium amplificandum, secundò meritum nostrum extenuandum, tertiò gratus animus promittendus.

23. DICO Igitur 2. Commendabitur beneficium ab ipsius pretio, à dignitate personæ dantis, à modo, quo dedit, citò nimirùm, hilari animo, difficultates superando &c.

24. DICO 3. Extenuabitur meritum nostrum pariter ab adjunctis.

25. DICO 4 Æternam beneficii Memoriam futuram dicemus: etsi non gratiam referre possimus (quòd nec Benefactor indigeat, & nos miseri simus) debiti tamen, atquè indignitatis nostræ confessionem perpetuam fore pollicebimur. Legite Tullium post reditum ad Quirites, & Panegyricum Ausonii ad Gratianum.

INSTRUCTIO VI.

De Alio Eucharistico, seu Gratulatoria Oratione.

16. DICO 1. Hæc est Oratio, qua alicui acceptam dignitatem, vel imperium, vel simile quid gratulamur.

27. DICO 2. Laudabitur ejusdem electio ob merita suprà cæteros singularia, quæ quidem erunt commemoranda, sed citrà palpum, aut ipsius modestiæ offensionem; itaquè sæpius Figurâ præteritione utemur.

28. DICO 3. Considerandæ erunt omnes electionis Circumstantiæ, Comitia scilicet, suffragia, locus, tempus, dies, occasio, & alia, quæ magnam laudis segetem præbere poterunt. Legite Pacatum, & Plinium.

INSTRUCTIO VII.

De Oratione Funebri.

29. DICO 1 Est Oratio exornativa in alicujus funere; in qua initium sumitur à dolore Familiæ, Urbis, Populi &c Eliciendæ enim primùm lacrymæ ab Auditoribus ex Circumstantiis; ubi jactura Reipublicæ exaggeranda, si presertim puer excesserit, cujus Virtute illa regi potuisset.

30. DICO 2 Hæ lacrymæ deindè abstergendæ spe gloriæ, atquè immortalitatis, quam debitam personæ demortuæ meritis dicemus. Itaque.

31. DICO 3. Commendandæ illius dotes, more solito percurrendo ejus illustria facinora; & si quid antè mortem, vel post hanc occurrerit, undè laus peti possit.

32. DICO 4. Familiam tandem, pueros, liberos, propinquos, amicos, Rem publicam in solitudine relictam, consolabimur.

INSTRUCTIO VIII.

De Salutatione Principum.

33. DICO 1. Illa est Oratio, qua venientem Principem, vel illustriorem personam salutamus. In qua prosperum adventum gratulabimur, omnium ob hanc rem plausus, atquè lætitiam significantes.

34. DICO 2. Deinde tantæ lætitiæ causæ assignandæ, à Meritis ipsius Principis, similisvè personæ, cujus laudes omnes, breviter quidem, & omnium verborum, ac Sententiarum delectu, perstringendæ.

35. DICO 3. Eidem mentes, animos, pectora, fortunas, omnium spes, atquè opes, & similia, non sinè affectu, & obsequio consecrabimus.

INSTRUCTIO X.

De Paranymphæis, seu Dedicationibus Librorum, ac Thesium.

36. DICO 1. Hæc sunt, quibus Libri, Theses, vel similia personæ illustri, vel Divo, vel ipsi DEO dedicantur.

37. DICO 2. Assignanda imprimis occasio dedicandi, quæ erit officium, debitum, obsequendi ardor in Dedicante, vel ejus dignitas, cui dicantur.

38. DICO 3. Deindè rei, quam dedicamus, Explicatio, atquè excusatio, ob doni tenuitatem, sequatur.

39. DICO 4. Sub tantâ tutelâ, atquè auspi-

ciis dicemus minimè terrore nos affici ab Zoilorũ, ac Momorum lividis morsibus:

40. DICO 5. Alludi potest quandoquè non sinè gratiâ ad ipsius personæ gentilitium stemma: sed cavendum, nè in puerilitatem abeamus.

41. 6. Postremum locum obtineat Commendatio additâ fidei, æterniquè obsequii contestatione.

42. DICO 7. Stylus sit floridior, & argutiis scatens. Si autem viris magni nominis res consecretur, stylus sit grâvis taliquè personæ aptus.

43. DICO 8. Id quandoquè à Recentioribus fit instar Elogii, atquè Inscriptionis perpolitæ quidem, sed brevis, cujus Exemplum sit ex Emm. Thes. qui suam Moralem Philosophiam ità dedicat.

AL GRANDE INFANTE
VITTORIO AMEDEO
FRANCESCO
PRINCIPE DI PIEMONTE,
Della Stirpe di Sassonia
L' Antica, L' Alma, L' Augusta,
Augustissimo Germe;
Della Linea di Bertoldo,
Il Feroce, Il Forte, Il Fortunato,
Ferocissimo Descendente:
Di Emmanuele Filiberto
Il Coraggioso, Il Costante,
Il Conquistatore,
Generosissimo Abnepote:
Di Carlo Emmanuele Primo
Il Maestoso, il Magnanimo, il Magno,
Degnissimo Pronipote:

Di

Di Vittorio Amedeo
Il Giusto, il Bellicoso, il Pacifico,
Espressissimo Nipote:
Di Carlo Emmanuele Secondo
L' Ottimo, il Massimo, L' Intrepido,
Gloriosissimo Primogenito;
Delle Virtù di tutti gli Antenati
Chiarissimo Specchio, & Epilogo;

L' Umilissimo, e Fedelissimo Vassallo
Don Emmanuele Tesauro
Questa sua senile, e perciò debile:
Ma ossequiosa, perche comandata, fatica,
Dona, Dedica, e Consacra

Dedicatoriarum, quas vidi, non ultimum locum sibi vendicat, meo judicio, quæ Italico Libello præmittitur, cui Titulus, Avvenimenti di Fortunato; ubi Auctor Pompeius Sarnelli, ni fallor, sibi ipse sub Anagrammatico nomine Librum dedicat festivè quidem, & lepidè, sed eruditè, & multum politicè. Si legeritis, nec injucundum, nec inutile vobis erit illam semel, atquè iterum perlegisse.

INSTRUCTIO X.

Alia Paranymphæa.

44. DICO 1. Hæc sunt, quibus ornantur initiandi Laureâ Doctores, vel cùm primùm sunt in Curiam admittendi.

45. DICO 2. Exordium præbebit aliqua eruditio desumptà à Veterum moribus, vel Gladiatorum scilicet, vel Militum, vel Flaminum, &c.

46. DI-

46. DICO 3. Deinde Scientia, cujus laureâ decorandus; vel Curiæ, in qua admittendus, sequentur laudes: & personæ ipsius merita exaggeranda.

47. DICO 4. Commendatio, & Sacramentum Orationem absolvat. Legite Ennodium Orat. 10. & P. Mend. in Virid.

INSTRUCTIO XI.

De Oratione Studiorum.

48. DICO 1. Sic dicere solemus Orationem, quâ utimur in Studiorum auguratione, ut Adolescentium animos ad Sapientiæ Studium inflammemus.

49 DICO 2. Hæc Oratio propriè Panegyris est sapientiæ: debet enim ità sapientiam laudibus cumulare, ut omnes ad eam labore, sudoreque comparandam excitentur.

50. DICO 3. Invaluit hac tempestate nonullorum abusus, qui, hujus Orationis vice, Urbis Encomium texunt.

51. DICO 4. Equidem, ut consuetudini satisfiat, nevè Oratio contrà Artis præcepta contexatur, Sapientiæ, Urbisquè laudes ità colligari permitterèm, ut Adolescentes ad Studium impellantur, Majorum exemplo; quos semper primas habuisse in scientiarum Theatro, sicut etiam in Martis Campo, omniquè aliâ prærogativâ [aptâ Inventione adhibita] ostendemus: illamquè Urbem ità à naturâ efformatam, tali syderum aspectu, aëris benignitate, ac temperie dotatam, ut nata literis, ac sapientiæ videatur.

52. DI-

52. DICO 5. Si hujus Orationis Thema, Propositio, totaquè Inventio petatur ab aliquo in illa Urbe conspicuo, ut Messanæ à Portu, Theatro, &c. vel à gentilitio Stemmate, aut re simili, ductâ perpetuà Metaphorâ, grata erit, Recentioribus præsertim, Oratio: & Auditorum benevolentiam mirum in modum conciliabit. Sicut etiam,

Pro his omnibus Orationum Generibus.

53. Adverto, quod si aliquâ texantur Metaphorâ, seu Allegoriá, plurimum decoris induent, & mirum in modum gratæ ad Auditorum aures pervenient. Itaquè poterit E. G. persona illa, ob cujus Ortum, vel Nuptias, lætamur, vel cujus funere gemimus, aut adventu gaudemus, vel beneficiis fruimur, sub Orientis, Occidentis, benefici Solis, continuata Metaphorá, vel simili commendari.

EXER-

EXERCITATIO III.

DE HISTORIA

INSTRUCTIO I.

Nomen, Divisio, Definitio.

§.

DICO 1. Historia sic dicitur à verbo Græco ἱστορεῖν, quod Latinè est memoriæ prodo, commemoro, in præsentiâ cognosco, vel ideo; quod olim oculati tantùm testes Historiam conscribebant,

2. DICO 2. Multiplex est Historia 1. Chronica, 2. Annales, 3. Calendaria, 4. Diaria seu Ephemerides, & Fasti, 5. Acta, 6. Commentarii, 7. Breviaria, 8. Regesta, sivè Regestra, 9. Indigitamenta, 10. Vitæ Virorum Illustrium.

Cronica sunt tempora digesta per seriem, quià Χρόνος, Latinè Temporum series est.

Annales sunt, in quibus plurium Annorum res observato cuiuscunque Anni ordine continentur,

Calendaria sunt, quæ res per Menses enarrant.

Diaria, Græcè Ephemerides, sunt, quibus per

dies

dies singulos res gestæ scribuntur. Hujusmodi sunt etiam Fasti; at in his discrimen est penès tempora.

Acta, & quidem sivè Senatûs, sivè Populi sunt, quæ continent judicia publica, Comitia, ædificia, ortus, interitusquè Illustrium personarum, matrimonia, divortia, &c.

Commentarii sunt diligentes, & continuatæ Narrationes, nullo ingenii lumine limatę perpolitæ, aut elaboratæ; nudæ, sed rectæ, & venustæ.

Breviaria sunt, quibus res brevissimè tanguntur.

Regesta, sivè Regestra dicuntur à rebus gestis quas referunt.

Indigitamenta erant Libri Pontificales, qui & Deorum nomina, & ipsorum Nominum rationes continebant.

Vitæ Virorum illustrium, quod quisquè celebre in vitâ fecisset, restringebant per breves Narrationes.

Hæc tamen omnia sub absoluto Historiæ nomine comprehenduntur. Hinc

3. DICO 3. Historia, quæ à Cicerone Lib. 2. de Oratore, Testis temporum, Lux veritatis, Magistra vitæ, Nuntia Vetustatis, dicitur, sic definiri potest: *Est Nartatio simplex, & vera, quæ quid, quo consilio, quâ ratione, quo eventu gestum sit, exprimens, dirigit humanas actiones, ac vitam firmiter, & jucundè*. Undè satis colligitur, quodnam sit Historici munus, ac finis.

IN-

INSTRUCTIO II.

Historiæ Artificium.

4. DICO 1. Taliter texatur Historia, ut vel ipsa Falsitatis umbra evitetur. Undè res dubias, & incertas, ut tales, referat: & in indagandâ rei Veritate, ut negligentiæ notam declinet, omnem lapidem movere conetur.

5. DICO 2. Conciones, & Orationes verisimiles intermiscendæ, sed servandum personæ decôrum, & temporis, loci, aliarumquè Circumstantiarum habenda ratio, nè in Poësim degeneret. Hæ Conciones non sint multum perpolitæ, Sententiis polieant, atquè efficacibus rationibus ad convincendum; nec fiant, nisi ex gravi cauſſâ, & occasione nobili, ac dignâ, V. G. Ad sedandum populi tumultum. vel ad excitandos ad bellum militum animos, &c.

6. DICO 3 Curandum Historiographo, ut animum ab omni perturbatione liberum habeat, vel saltem ostendat: undè simultatis, vel gratiæ simulationem, vel Principibus adulandi, Patriæquè favendi animum non ostendat.

7. DICO 4. Annorum, temporumquè series suo ordine referendæ, colligendæque. Loci suo ordine describendi, Regiones, Flumina, Montes, resquè similes; decenter tamen, nec plus æquo: nevè nimium luxurient tales Descriptiones; nec fiant sinè causâ, & dignâ occasione: jam occasio erit aliqua celebris victoria, strages, bellum, &c.

8. DICO 5. In rebus enarrandis principiùm, me-

medium, finis servetur: undè primùm occulta quædam rerum futurarum semina jacienda: tùm causæ, & Consilia breviter, sed diligenter, investiganda, & evolvenda: deindè acta, actorumque modus, tandem Exitus enarrandus.

9. DICO 6. Præcepta, Animadversiones, vel Reflexiones politicæ suo loco (cautè tamen) inferendæ; sed nè nimiæ sint ut in Tacito.

10. DICO 7. Elogia in Historiis quandoquè adhibenda, tùm scilicet ad illustrium Virorum laudem, tùm ad improborum vituperationem: cùm nimirùm eorum mors accidit, vel aliquod celebre facinus referendum. Idem dicendum de Elogiis Urbium, Provinciarum, Regnorum,&c cùm nimirum, vel eorum exitium, vel instauratio, vel aliquid simile occurrit.

INSTRUCTIO III.

Stylus, Virtutes, & Vitia.

11. DICO 1. Historia stylum amat elegantem, nitidum, Atticum, non nimis numerosum sępius fusum, non raro leniter asperum. Aliquando fusiùs, aliquando brevius, ut res postulat, consultò procedendum. Et quamvis proprius Historiæ stylus sit prosa; quandoquè tamen metro alligari, Ovidiano exemplo, non respuit.

12. DICO 2. Nonnullæ Figuræ loco, & tempore, ex re natæ, non prohibendæ, si præsertim non affectatè adhibeantur: ut Epiphonema, Conquestiones, Detestationes scelerum, aptæ similitudines, & Comparationes à pari, à majore, minore, &c. 13. DI-

13. DICO 3. Quamvis Digressiones permittantur, fugienda tamen morositas: nec crebræ sint, aut sinè ullâ prorsus origine.

14. Legite Salustium, Livium, Curtium, Cæsarem, & ex Recentioribus Famianum Strada, Joan. Petrum Maffei, Danielem Bartoli, Cardinalem Pallavicinum in Historiâ Concilii Tridentini, & quotquot nostræ Societatis Historiam Latinè conscripsêre: Fastos præterea Marianos P. Andreæ Brunner; nam Latinissimi sunt.

EXER-

EXERCITATIO IV.

DE PRÆFATIONE

INSTRUCTIO I.

Quid, & quotuplex sit, & quæ ejus Partes.

I.

DICO 1. Præfatio, ut patet ex ipso nomine, seu Prolusio, est brevis quædam Oratio, quæ antè ingenuam aliquam ingenii Exercitationẽ prẹmittitur. Illa delectationem, & utilitatem respicit Auditorum: ut Intellectus novâ jucundâquè narratione recreetur Voluntas ad bonarum Artium studia impellatur.

2. DICO 2. Triplicis generis est Præfatio. Primi generis est, quæ Scriptis, Libroquè typis mandando prẹmittitur ad Lectorem.

Secundi generis est, qua vel in Studiorum auguratione, vel Scholam aggressuri, vel Librum explanaturi, Thesesvè propugnaturi proludimus.

Tertii generis, qua utitur Doctor, antequàm promoveatur ad lauream.

3. DICO 3. Cujuscumque generis sit Prẹfatio, quatuor agnoscit partes quarum Prima est Exordium, seu brevis introductio: Secunda

Ex-

Expositio rei, quam tractamus, vel probare contendimus: Tertia confirmatio, qua rem illa rationibus munimus: Quarta Epilogus, quo Præfatio clauditur, & Auditores ad Facultatis amorem, studiumquè axcitantur.

INSTRUCTIO II.

Artificium.

Præfatio Primi Generis.

4. DICO 1. In Præfatione, quæ Libro typis mandando præmittitur, aperiendum inprimis, qua de re scripturi simus: qua occasione, amicorum videlicet, vel alterius personæ jussu: qua ratione moti materiam illam scribendam elegerimus, aliorum utilitate videlicet, necessitate, &c.

5. Secundò opusculum [si nostrum erit] extenuabimus, nulláque luce dignum dicemus: si verò alienum, illud laudibus cumulabimus.

6. Tertiò Lectorem ad opus illud legendum hortabìmur, maximum indè emolumentum pollicentes.

Præfatio Secundi Generis.

7. DICO 1. Texi potest Prefatio secundi generis, primò laudando Auctorem, vel Librum, quem quis explicandum aggreditur; qui modus hodiè est tritus; nec tàm plausibilis.

8 Secundo, si Problema, vel dubium aliquod ad rem nostram spectans, proponantur: V. G. Qui-

Quidam Grammaticę Præceptor Proposuit olim hoc dubium: Cur Græci in ipso Grammaticæ limine pueris verbum τυπτω, id est, Verbero, Latini autem verbum, Amo inflectendum proponant: indè pueros nunc timore, nunc amore impellendos probavit.

9. Tertiò, si abstrusam aliquam Historiam, vel Eruditionem, vel Fabulam, quę ad rem faciat, in medium afferas.

10. Quarto, si litem proponas, comparando Auctorem cùm Auctore, Librum cùm Libro, Scientiam cùm Scientiâ, Artem cùm Arte: V.G. Quis melior, Virgilius, an Horatius? Rhetorica, an Philosophia?

11. Quintò, si aliquid fingendo, modum docendi, discendive, vel componendi afferas. Hoc fieri potest, vel per somnium (quod tamen nonnulli, ut nimìs tritum reprehendunt, nec fortassè immeritò) vel si fingas, te aliquid in tabulâ, picturâ, sepulturâ, topiariis expressum vidisse.

12. Sextò, si utaris Metaphorâ, vel Allegoriâ (& hic modus suprà cæteros arridet Recentioribus) si V. G. Grammaticam inducas agmen instruentem, & singulis rebus ad illam spectantibus munus proprium assignes in bello, servato semper decoro, proportione, ac Metaphora. Vel Rhetoricam convivium parantem, Nundinas exponentem, Palatium erigentem, simulacrum insculpentem, topiaria,& Viridarium ordinantem, Ludum, Comœdiam, vel quid simile repræsentantem. Quod si Allegoria desumatur ab aliquâ re, quę in illa Urbe conspicua sit, majorem laudem merebitur.

13. Se-

13. Septimò, si Auctores illius Scientiæ, vel Artis inducas ad Ludum Equestrem, vel aliam Pompam, vel ad Comitia progredientes, eorumdèmque equum,os, habitum, ornamenta ità describas, ut cujusque Stylum, Vitia, Virtutes adumbres. Si ipsos loqui oportebit, poteris Poëtas carmine, Oratores oratorio, Historicos historico stilo, & quidem proprio, loquentes effingere. Sed hoc non omnium est. Famianus Strada nemini secundus in Prolusionibus.

14. Octavò, si aliquem Auctoris, quem explanabis, locum difficilem, & qui improbabilis videatur, explicandum exponas.

15. Nonò, si ferulam, calamum chartam, atramentarium, aut quid simile, laudandum assumas; præsertim sub aliquâ Metaphorâ.

16. Decimo, si diem illum, quo Studiorum initium contingit, laudibus cumules.

17. Undecimò, si reprehendas puerorum vitia in discendo, studendo, pronunciando, &c. vel aliquorum errores in componendo.

18. DICO 3. Si antè Disputationem Philosophicam, vel Theologicam proludendum sit, Quæstionum aliquam plausibilem ex illis, quas propugnandas susceperis, politè, & quasi Rhetoricè agitandam deprome, aliquo ex modis supradictis. Dixi, quasi Rhetoricè: memineris enim oportet, non adeò Rhetoricis phaleris indulgendum, ut propositæ Quæstionis, etsi perpolitè, elegantèrque agitandæ obliviscaris,

19. Tandem Adversarii ad bellum invitandi, sed citrà audaciam, aut illorum offensionem.

Præ-

Præfatio Tertii Ceneris.

20. DICO 4. Si prolusurus sis, antequàm ad Doctoratûs lauream promoveris; Primò Studia laudabis (non te) quibus, non sinè magno labore, & sudore, operam dederis.

21. Secundò ingens ejus Honoris desiderium expones, quo Terrâ Mariquè, tot inter angustias, ad peregrinas etiam Nationes fueris impulsus.

22. Tertiò Auditoribus benevolentiam, atquè humanitatem extolles; quam alios omnes expertos fuisse, dicas.

23. Quartò eorum in judicando prudentiam, integritatem, virtutem, amoremquè erga sapientiæ Studiosos commendabis.

24. Quintò eorum Urbem ornabis laudibus, sed eò præsertim, quòd semper Studiorum gloriâ floruerit.

25. Sextò dices tandem, non nisi eorum ope, auspiciis, patrocinio favente, tuis laboribus fructum respondisse tandiù peroptatum.

INSTRUCTIO III.

Præfationis Stylus, Virtutes, & Vitia.

26. DICO 1. Præfationes ferè cùm Oratione conveniunt: lepidum tamen, floridum, venustum, festivum dicendi genus desiderant, Descriptiones crebriores, amœnasque, stylum clariorem, sed acutum, & incisum, nec multùm Periodis rotundatum.

27. DICO 2. Veterum Eruditiones, ac mores, Tabellas, Proverbia, atquè omnia, quæ ad ornatum faciunt, libenter admittit Præfatio: & nonnunquam verba etiam efflagitat à puro Antiquitatis fonte cadentia.

28. DICO 3. Cavendum, nè Præfationes languidæ sint, hiulcæ, jejunæ, fævæ, tumidævè, aut iratæ, & nè Sutor ultrà crepidas.

29. DICO 4. Præfationes, quæ haberi solent à Jurisperitis, vel M. dicis, stylo gaudeant simplici, nec multum phalerato. Præfationes, quibus graves Magistri proludunt, cultum imitentur gravem, & matronalem.

Legite Famianum Strada, Vincentium Guinisium, Bernardinum Stephonium, &c.

sss

EXER-

EXERCITATIO V.

DE EPISTOLIS.

INSTRUCTIO I.

Nomen, Definitio, Divisio.

I.

DICO 1. Epiſtola dicitur à verbo Græco Επιϛέλλω, quod eſt, Mitto, Definitur: Scriptum animi nuntium ad abſentes, vel quaſi Abſentes; quià nonnunquam etiam Præſentibus, ob rei gravitatem, ſcriptis loquimur: ſed hi propriè dicebantur Codicilli.

2. DICO 2 Aliqui dividunt Epiſtolas in genus Deliberativum, Judiciale, & Exornativum.

Alii dividunt in Serias, Doctas, Familiares, & Miſtas.

Serias dicunt, quæ res tractant omninò graves, & ſerias, ſivè publicæ, ſivè privatæ illæ ſint.

Doctas appellant, quibus, quæ ad Sapientiam, & Scientias pertinent, agitantur.

Familiares vocant, quæ res familiares noſtras, vel circà nos, tangunt.

Miſtas nuncupant, quibus unum Epiſtolarum genus cùm alio componitur: reſquè ſeriæ cúm amœnis, doctæ, cûm familiaribus conjunguntur.

INSTRUCTIO II.

Epistolæ Artificium.

3. DICO 1. Epistolæ, quæ meram rei alicujus Narrationem continent, vel, quæ ab amico ad Amicum quotidiè scribuntur; vel, quæ inter propinquos intercedunt, ut unus alteri de suâ bonâ valetudine nuncium afferat, sunt perpetua unius rei Narratio, aut variarum rerum Narratiunculæ: adeòque Narrationum legibus subjacent.

4. DICO 2. Aliarum Epistolarum artificium quinque partes admittit: quarum prima est Proloquium: Secunda Exordium: Tertia Propositio; Quarta Confirmatio: Quinta Clausula: Addi posset Sexta, id est Subscriptio, & præterea septima, nimirùm Superscriptio, quæ hàc ætate uti solemus. De singulis his partibus aliquid brevissimè.

Proloquium.

5. DICO 3. Hoc antiquitùs continebat scribentis, ejusque, cui scribebatur, nomen cùm Titulis debitis, & Valedictione, aut Salutatione: V. G. Marcus T. C. Lentulo Proconsuli Salutem plurimam dicit. Vel S. P. D. aut Salutem, Felicitatem, Benevalere, vel, S. E. B. V. aut quid simile.

6. Et quidem in hac Salutatione scribentis nomen semper præposuere, licet persona, cui scriberetur, dignior esset: cujus præterea Nomini dignitatis vocabula subnectebant: idquè contrà morem Recentiorum, qui passim, honoris

caussâ,

caussà, dignitatis notas, nomenquè illius, cui scribunt, nomini præponunt suo: V. G.

Eminentiss. Cardinali Bellarmino NN. S. P.D. vel Fel. &c.

7. DICO 4. Nunc, præsertim cùm Italicè scribimus, ponimus meram Salutationem, prò personarum varietate, & dignitate, ad quas Epistolam mittimus: addito Cognationis, aut affinitatis titulo, si quis intercedat: V. G.

to re re on mo
M. Ill Sig. e Pr. Mio Oss.

Vel: mo r on mo
Ill. Sig. Mio Pr. e Cugino Cariss.

Vel: mo mo re on mo
Eccell. Emin. Sig. e Pr. Mio Oss. &c.

Latine.

Excellentissime Princeps.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine, &c.

8. DICO 5. Addendam esse Particulam, Mio, putaut quidam Recentiores, si velimus obsequium præstare, cui scribimus: si enim ei dicamus: Signore, e Padrone, sed non addiderimus, Mio: nullum officium erit, inquiunt; potest enim intelligi, illum servorum suorum Dominum esse, &c.

9. DICO 6. in Salutatione ad Proregem scribi solet: Excellentissimo Signore, Ad Regem; Sacra Maestà? Ad Imperatorem: Cesarea Maestà. Ad Summum Pontificem: Beatissimo Padre, Santissimo Padre, &c.

Exordium.

10. DICO 7. Exordium est, in quo benevo-

lentiam aucupamur (si opus erit) ut dictum est in Arte Rhetorica.

Poterimus quandoquè in Exordio scribendi occasionem detegere.

Propositio.

11. DICO 8. Propositio est, in qua quid velimus, breviter exponimus, vel rem, aut factum narramus, circà quod versatur negotium illud, quod scribimus.

Confirmatio.

12. DICO 9. Confirmatio est, in qua rationes ad suadendum, vel dissuadendum; hortandum, vel dehortandum afferimus.

Clausula.

13. DICO 10. Clausula est, in qua, si quem Salutatum volumus, addimus: nosmet amico vovemus, eiquè obsequimur, valedicimus, &c. Itali dicerent: Bacio le mani: vel il ginocchio; vel, la sacra porpora; vel, il piede, &c. vel: Fo profondissima riverenza, &c. Deindè Locus, in quo scribimus, Dies, Mensis, & Annus subjungitur.

14. Solet aliquando Festus Dies indicari nobis solemnis V. G. Natali Christi: vel Christi resurgentis die, &c. Annum Veteres notabant ab V. G. id est, Ab Urbe Condita: nonnunquàm Consulum nominibus, &c.

15. Nos: A. P. V. hec est, A Partu Virginis: vel, A. V. P. hoc est, A Virginis Puerperio: vel, A. D. hoc est, Anno Domini: vel, A Ch. N. hoc est, A Christi Natali: vel, A. S.R. hoc est, A Salute Restitutâ: vel, A. S. H. hoc est, A Servatis Hominibus.

M. DC. LXXXI vel 1681. &c. 16.

16. DICO 11. Statu in loco utendum, ac Urbis nomen explicandum, in qua moratur, qui scribit: V. G. Messanæ, Romæ, Neapoli, subintelligitur, datæ Literæ. Vel motu de loco, V. G. ex Castris, &c.

Veteres tempus notabant per Calendas, Idus: & Nonas.

Nos ità solemus Epistolam claudere;
Messanæ die 27. Julii 1681
Messina li 27. di Luglio 1681.

Subscriptio.

17. DICO 12. Veteres Subscriptione non utebantur; proprium enim nomen in Proloquio scribebant. Nos illâ utimur in Epistolæ calce ad dexterum latus, præmisso in sinistro latere post finem Linearum, quibus Epistola continetur, compendiariis Notis majusculis:

to re
Di V. S. vel: Di V. S. M. Ill. &c. aut quid simile.

Deindè, non sinè Titulo aliquo, quod obsequium indicet, addendum nomen, & cognomen personæ propriæ.

18. DICO 13. Aliqui Recentiores, nimiùm fortasè officiosi, cùm ad personam omni exceptione majorem scribendum est, hoc modo subscribunt:

Excellentissime Domine,
Excellentiæ Vestræ.
Addictissimus Servus, &c.
NN.

Italicè:

mo re
Eccell. Sig.
Di V. E.

o o re
Divotiss. ed Obligatiss. Serv.
e
che la riv. e. b. l. m.
N N.

vel quid simile.

19. DICO 14 Majoris, vel minoris obsequii, ac Reverentiæ signum erit, si nomen nostrum in magis, vel minùs inferiore Epistolæ parte, calceque scripserimus: sicut etiam, si paginæ majorem, vel minorem Marginem, cùm in ejus fronte, tùm in sinistro latere reliquerimus.

Superscriptio.

20. DICO 15. Superscriptio fiat inscripto ejus cui scribimus, nomine, ac debitis Titulis, & loco, vel Urbe, ubi idem commoratur.

21. DICO 16. Circa Titulos servandus Temporis, ac Regionum usus. Nos personis mediæ conditionis scribere solemus: Al Molto Illustre: Equitibus ferè omnibus, ac Fœminis non obscuro Loco natis hac tempestate invaluit usus, ut in Superscriptione Titulus Illustrissimi impertiatur. Servatâ Proportione personis Ecclesiasticis, ac Regularibus, & Sacerdotibus scribere poterimus.

o ' o e on mo
Al M. Rev. P. e Pr. Mio Off.

quibus eodem modò subscribendum:

Di V. P. M. R.

vel:

vel: to re o e re on mo
Al M. Ill. e Rev. P. Sig. e P. Mio Oss.
& tunc subscribendum:

re a
Di V. S. vel P. M. Ill. e Rev.

Comitibus, Marchionibus, &c. scribere solemus.

o re on mo
All' Illustriss. Sig. e Pr. Mio Oss.
& tunc subscribimus:

ma
Di V. S. Ill.
Episcopis:

mo mo re on mo
All' Ill. e Rev. Sig. e Pr. Mio Oss.
& tunc subscribimus:

ma ma
Di V. S. Ill. e Rev.
Ducibus, & Principibus, &c.

mo mo re on mo
All' Ill. ed Eccell. Sig. Pr. Mio Oss.
& tunc subscribimus:
Di V. E.
Cardinalibus:

mo re on mo
Eminentiss. Sig. e Pr. Mio Col.

a
Di V. E.

22. DICO 17. Cùm personis omni exceptione majoribus Epistola mittitur, poteris (immò quandóque expedit) proprio Nomine prætermisso, Titulum dumtaxat apponere: V. G.

All' Eccell.^{mo} Sig.^{re} e Pr.^{on} Mio Colend.^{mo}

Il Sig.^r Principe di &c.

23. DICO 18. Quibus Proregi, Regi, Papæ scribendum est, in Superscriptione, Notis hisce compendiariis uti solent;

A.	*S.*	*E.*
A.	*S.*	*M.*
A.	*S.*	*S.*

& in hujusmodi Casibus prætermittitur nomen Urbis, vel Loci, quò Epistola mittitur: sicut enim sciunt omnes ubi Sol commoretur; ità ubi tantorum Heroum eluceat Splendor latêre poterit neminem.

24. DICO 19. Aliqui passim post Superscriptionem addunt bonæ Salutis, vel felicitatis Auspicium: V. G. Salute; vel Diò Guardi; vel N. S. F. id est, Nostro Signore Feliciti: vel M. G. id est, Maggior Grandezza: aut quid simile: non desunt tamen Recentiores, quid id prætermittendum existiment.

25. DICO 20. Circà obsignandæ, complicandæque Epistolæ modum, varii Regionum mores, ac placita. Nos personis primæ notæ, preter papyrum, ubi scripta Epistola est; folii dimidium addimus, quod, Sopraccarta, nuncupamus. Si Papyrus undique decerpta, sectàque fuerit, ma

jus

jus obsequium erit; si autem oras, seu partes extremas undique inauratas curaverimus, id erit obsequium maximum. Sed usus, qui, nunquam sibi similis, semper variat, vos plura docebit.

INSTRUCTIO III.

Stylus, Virtutes, & Vitia.

26. DICO 1. Epistolarum Stylus simplex fit, decens, venustus: nec Oratorius, turgidùsque:

27. DICO 2. Ejus præcipua virtus brevitas; quæ mirum in modum, adornabitur Adagiis, Allusionibus ad dicta, factaque Veterum, Versiculis, Argutiis, Sententiis & quidem Græcis etiam, & Latinis: Fabularum amænitatem, Historiarum Auctoritatem, Jocos, Saléſque (quos Epistolæ animam aliqui appellant) non respuit.

28. DICO 3. Cavendum, ne Epistola sit nimìs elaborata, vel affectate officiosa, vel personæ scribentis, aut, cui scribimus, non apta, & proportionata.

29. Ex Latinis unicum legite Ciceronem, præsertim ad Atticum. Ex Italis Recentioribus, Cardinalem Pallavicinum, cujus Epistolæ mihi suprà ceteras arrident.

INSTRUCTIO IV.

De Epistolis in particulari.

30. QUæ diximus de Epistolis in universum, sufficerent ad quamlibet Epistolam, juxtà artis Regulas, contexendam. Ut autem

deſideriis veſtris fiat ſatis; placet, quoniam per tempus licet, aliquid de Epiſtolis in particulari ſubnectere Primò igitur de Epiſtolis primi generis, nempè Deliberativi: Secundò de ſecundi generis Epiſtolis, nempè Judicialis: Tertiò de Epiſtolis tertii generis, nempè Demonſtrativi, majore, quâ poterit, brevitate agemus.

Generis Deliberativi.

De Epiſtola Suaſoria.

31, DICO 1. In hâc Epiſtolâ primùm captanda eſt benevolentia paucis Verbis, & ubi res poſtulet, Jam benevolentia multipliciter captari poteſt, ut diximus in Arte Rhetoricâ, nimirùm vel ab illius perſonâ, ad quem Epiſtola mittitur, vel à ſcribentis perſonâ, vel tandem à rebus ipſis

32. Captabitur benevolentia ab eo, cui ſcribitur; ſi illum utpotè ſumma Liberalitate, Juſtitiâ, Fide, Officio, Sapientiâ, præditum, & inprimis noſtri amantiſſimum, collaudabimus.

33. Captatur benevolentia à nobis ipſis, qui ſcribimus; ſi noſtra ergà illum merita, modeſtè tamen, recenſebimus, ejuſque viciſſim in nos: ſummam animi noſtri ergà illum benevolentiam, quâ ſuis commodis æquè ac noſtris gaudemus, itèmque dolemus incommodis.

34. Captatur benevolentia à rebus ipſis, & ipſius ſaluti, exiſtimationi, atque utilitati conducere oſtendemus.

35. DICO 2. Captatâ benevolentiâ, ſecundò bre-

brevis, ac dilucida subsequetur Oratio, rem, quam suademus, eleganter proponens.

36 DICO 3. Rem propositam Rationibus fulciemus; si eam esse honestam, utilem, necessariam, tutam, jucundam, facilem; si summam esse aliorum expectationem, & similia insinuabimus. Hic si quæ erunt confutanda, refellemus. Quæ omnia confirmari poterunt Exemplis à majore, à minore, à pari, à contrario.

37. DICO 4. Demum potiorem rationem, quæ nobis majoris ponderis videbitur, subjiciemus.

De Epistola Dissuasoria.

38. DICO: Epistola Dissuassoria est, quâ alicui aliquid dissuademus. Jam eadem erit dissuadendi ratio, ac suadendi: Contrariis tamen utendum est Argumentis; ostendendo nimirùm rem esse turpem, inutilem, non necessariam, injucundam, difficilem, & similia.

De Epistola Exhortatoria, & Dehortatoria.

39. DICO 1. Hæ solum differunt â superioribus, quia Suasione utimur, ut aliquis rem agat, quam nec decreverat, nec inceperat agere; hortatione, ut volens aliquid facere, liberè id agat; vel si inceperit, ab incepto non desistat, sed acriter operetur.

40. DICO 2. Epistolæ Exhortatoriæ artificium ferè idem est, ac Epistolæ Suasoriæ: & Dehortatoriæ ferè idem est, ac Dissuasoriæ. Ad exhortandum autem, & dehortandum valdè conferunt Argumenta desumpta à Laude, à Spe, à Metu, ab Amore, ab Odio, à Miseratione, ab Amicorum, atque Invidorum expositâ expectatione &c.

De

41. DICO 1. Epistola Consolatoria est, quâ aliquem solamur, illiquè veluti consilium damus, nè se dolore confici patiatur.

42. DICO 1. Duplex est Consolatio, prima simplex, & aperta; cùm nullam esse causam dolendi præter vitium, ac turpitudinem, apertè declaramus; quâ consolandi ratione utemur ergà talem virum, cujus prudentia nobis cognita sit, atquè perspecta.

43. DICO 3. Altera Consolatio est involuta, & occulta; cùm non apertè, sed quasi tacitè Consolationem adhibemus idquè ut fiat.

44. DICO 4. Primò illius, ad quem scribimus, sapientiam, & fortitudinem in ferendis adversis collaudabimus, de quâ nihil dubitare ostendemus, sed potiùs velle illi gratulari.

45. Secundò nos nequaquam idoneos ad consolandum significabimus, cùm ipsi potiùs Consolatione indigeamus.

46. Tertiò omnia, quæ animum lenire poterunt, colligemus; malum extenuabimus, quòd non futurum sit adeò diuturnum: quòd non tàm grave sit, quantum appareat; enumeratis etiam commodis, quæ in eo sunt. Hìc malum citrà culpam accidisse dicemus. Et Illustrium virorum Exempla, qui similes casus forti animo tulerint, neutiquàm erunt prætermittenda.

47. Quartò demum ad Exhortationem veniendum erit: ut nimirum bono sit animo, utquè se à tristibus Cogitationibus abductum ad hilariora convertat; in quibus res divinæ, ac cælestes præcipuæ sunt.

De

De Responsione ad Consolationem.

48. DICO : Primò gratias agemus de officio

49. Secundò ejus, qui nos consolatus est, ingenium, amoremquè collaudabimus, quòd nihil pretermiserit ad dolorem amovendùm idoneum.

50. Tertiò cùm laude aperiemus quantùm apud nos valuerit ejus Consolatio; ut nimirùm dolorem mitigaverit, vel penitùs absterserit. Quod si nihil profuerit consolandô, laudabimus tamen illius animum, studium, ingenium, amorem: ejusquè rei causas, citrà injuriam, exponemus.

De Epistola Petitoria.

51. DICO: Epistola Petitoria est, quà aliquid petimus ab amico; cujus Epistolæ hoc est artificium.

52. Primò captanda erit benevolentia, ut diximus in Epistolâ suasoriâ.

53. Secundò, si res, quam petimus, pudorem affert, ut mutuum,&c. necessitatem nostram, & pudorem, sed inutilem, exaggerabimus; cùm præsertim petere cogamur rem ab eo, de quo nihil unquam benè meriti sumus.

54. Tertiò brevi narratione rem, quam petimus, exponemus.

55. Quartò eam esse justam: piam, honestam, illi facilem, honorificam, & perutilem.

56. Quintò, si quid in eâ incommodi esse videri poterit, id aut diluemus, aut saltem extenuabimus.

57. Sextò obtestatio subicienda, & citrà arrogantiam, remunerationis spes, cùm nostrarum

virium extenuatione, & spe impetrandi, quod petimus, ab ejus summâ, nobisquè perspectâ liberalitate.

De Epistola Commendatoria.

58. DICO 1. Epistola Commendatotia est, quâ aliquem alicui commendamus.

59. DICO 2. Partes huius Epistolæ desumi possunt primò à personâ nostrâ; si illum, quem commendamus, de nobis benè meritum dicemus, ob varias & justas causas:

60. Secundò ab ejus personâ, quem commendamus; si virum bonum, & commendatione dignum confirmabimus.

61. Tertiò ab ejus personâ, cui scribimus; si ejus benignitatem, & humanitatem in alios attingemus.

62. Quartò à re ipsâ, si proponemus æquitatem rei; quòd sit honesta, utilis, facilis &c. atquè ei, cui scribimus, emolumento futura.

63. Quintò Obsecrationibus utemur, pollicentes cùm illum, qui commendatur, tùm nos beneficii memores, &c.

De Epistola Monitoria.

64. DICO 1. Epistola Monitoria est, quâ amicum de aliquâ re commonemus. Hęc Epistola dupliciter construi poterit: vel enim volumus aliquod amici vitium prudenter indicare, ut hominem illi deditum ad bonam frugem revocemus; & tunc asperitatem, atquè acrimoniam induere debebit Epistola: vel volumus nescienti, quæ agenda illi sunt, admonendò ostendere: & tunc objurgationibus vacabit admonitio.

65. DICO 2. Primi generis Epistola sic construenda erit:

66. Pri-

66. Primò, nè odioſa ſit reprehenſio, ejus acerbitatem aliquâ amici laude mitigabimus; etiam, quoàd fieri poterit, vitium illud extenuando.

67 Secundò rationes omnes colligemus, quibus eius animum ab illo vitio revocemus. Rationes autem deſumi poterunt ex iiſdem capitibus, quæ diximus in Epiſtolâ diſſuaſoriâ, & dehortatoriâ. Et præcipuè probatiſſimorum virorum Exemplis, ac dictis utemur.

68. Tertiò dicemus nos pręcipuo ergà illum amore adductos hæc ſcribere, haud quidem aliis ità facturos.

69. Quarto orabimus tandem, ut eodem amici munere, pariquè in admonendo libertate ipſe fungatur in nos; qui ità ſuam ergà nos benevolentiam agnoſcemus.

70. DICO 3. Secundi generis admonitio, nempè objurgatione carens, ità conſtruitur.

71. Primò auctoritatem quandam induemus: idquè vel ob ætatem, quà illum, ad quem ſcribimus, longè præcedimus; atquè adeò ob multarum rerum experientiam: vel ob alias cauſas; ſed ſine illius injuriâ.

72. Secundò gravitate quadam ſermonis, quid illi, & quomodo fieri conveniat, breviter exponemus. Reliquæ hujus admonitionis partes eædem erunt, ac Epiſtolæ ſuperioris.

De Epiſtola Conciliatoria.

73. DICO 1. Hæc Epiſtola eſt, quà nos in benevolentiam perſonę anteà ignotæ inſinuamus.

74. DICO 2. In hac Epiſtolà primò cauſas illius amicitiæ deſiderandæ exponemus, ſinè aſſentatione.

75. Se-

75. Secundò si quid in nobis erit, quod illum ad amorem mutuum possit provocare, sinè arrogantiâ significabimus.

De Epistola Mandatoria.

76. DICO: Hæc nihil habet artificii, præter ermonis elegantiam, & brevitatem; quà quidem mandamus alteri, quid illum facere velimus.

Epistolæ Secundi Generis.

Nempè Judicialis.

De Accusatoria, seu Criminatoria.

77. DICO 1. Accusatoria Epistola est, quâ alterum accusamus; quæ Epistola, licet contendat illum ab incepto retrahere, potissimùm tamen delicti gravitatem conatur ostendere.

78. DICO 2. Ad hanc Epistolam contexendam juvabit sepiùs ex abrupto exordiri, statimquè dolorem nostrum, reiquè atrocitatem indicare. Id fiet, si à conquestione, aut dubitatione, vel ab exclamatione, vel â simili aliquâ Figurâ incipiamus.

Indè rem ipsam brevi Narratione explicabimus.

Deindè Argumentis utemur ad delicti gravitatem confirmandam.

Tandem Epilogum subjiciemus.

De Epistola Expostulatoria.

79. DICO 1. Expostulatio, seu querimonia, vel querela, est quædam accusatio, quæ fieri inter amicos solet: ut si quis conqueratur amicum oblitum esse veteris amicitiæ, nullas jamdiu misisse Literas, fefellisse, aut quid simile.

80. DI-

80. DICO 2. Nè querela nostra amicitiam lædat, lenienda est vel laude, vel joco, vel dissimulatione (nisi talis, tantaquè sit familiaritas ergà illum, cui scribimus, ut apud ipsum nihil non liceat) itaquè rem ipsam damnabimus, voluntatem tamen, atquè ipsius Consilium in meliorem partem accipiemus: nec enim nos potuisse suspicari dicemus, ab eo unquàm neglectum officium.

81. Demùm amicum cohortabimur, ne in posterum ansam porrigat, undè meritò queri possimus: propterea quod ea res nobis mœrori, ipsi verò dedecori, esset affutura.

De Epistola Defensoria, & Excusatoria.

82. DICO 1. Defensione utuntur, qui accusati sunt: Excusatione, quos expostulatio lacessivit; utriusquè tamen idem esto artificium.

83. DICO igitur 2. Inprimis accusationem, seu expostulationem illam gratissimam nobis fuisse significabimus, quod ab optimo animo, atquè amantissimo profecta fuerit.

84. Deinde in medium rationes afferemus, quibus nosmet, excusabimus, aut procul esse à nobis culpam illam ostendentes, aut certè, si deliquimus, culpam leviorem esse, quàm videatur.

85. Postremò quantùm amici auctoritas valuerit apud nos, re ipsâ præstituros, vitii illius declinatione; & diligentiores posthàc futuros pollicebimur.

De Epistola Deprecatoria.

86. DICO: Epistola Deprecatoria est, quâ nostram, vel alterius culpam manifestam confi-

te-

temur; & tamen ignosci nobis, vel aliis petimus.

87. Primò igitur ejus humanitatem, atquè clementiam, quem placare contendimus, collaudabimus.

88. Secundò supplices culpam nostram, vel alienam ingenuè fatebimur: quam extenuare conabimur, vel quòd nunc primò commissa sit, vel ab ætate, vel ab imprudentiâ, vel ab ipso delicti genere, vel culpæ partem in alios transferentes.

89. Tertiò nosmet, aut eum, qui peccaverit, adeò confici pudore, & metu, & dolore dicemus, ut digni misericordiâ videamur.

90. Quartò spem melioris vitæ pollicebimur: quam ex illius, qui peccaverit, indole per se bonâ, aliisquè eius benefactis, reddemus probabilem; cùm prò alio deprecamur; prò quo

91. Quintò nostram auctoritatem, amicitiam, benevolentiam interponemus.

Epistolæ Tertii Generis.

Nempè Demonstrativi.

Nuntiatoria, seu Narratoria.

92. DICO 1. Hæc est, quà amicum facimus certiorem, si quid novi gestum sit, quòd illius referat scire, vel quod illi voluptatem sit allaturum.

93. DICO 2, Quatuor in hac Epistolâ Leges sunt observandæ, ut in Historiâ; nimirùm ut dilucida sit, brevis, veritati consentanea, & suavis atquè jucunda.

94. Huc

94. Huc itaquè spectant Descriptiones personarum, animantium, Regionum, Urbium, Fluviorum, Fontium, Consuetudinum, &c. quibus potissimùm utemur, cùm è peregrinis Regionibus scribimus ad amicos, ut satis eruditè Petrus la Valle.

Epistola Lamentatoria.

95. DICO: Narrationi proxima est Lamentatio, qua quid adversi nobis contigerit, amico significabimus. Hìc nihil opus est Arte, ubi natura, ac dolor quemquè facit esse disertum.

Gratiarum actio.

96. DICO Gratiæ agi debent illi, à quo beneficium accepimus: cùm sæpè gratiam retulisse videatur, qui bene gratias agit.

97. DICO 2. Beneficii magnitudinem inprimis extollemus, quòd ultrò nobis collatum sit: quòd citò (bis enim dat, qui citò dat] quòd opportunè: quòd uberiùs, quàm petierimus: quòd suprà meritum: quòd nè expectanti quidem: quòd plurimum ex eo utilitatis ceperimus; vel quòd alicui collatum fuerit, quem æque ac nos ipsos carum habemus, &c. quodquè multos eo beneficio sibi devinxerit.

98. Nos deindè, citrà jactationem, parem, aut uberiorem gratiam relaturos, & officiis responsuros promittemus. Quòd si nulla referendi facultas sit, certè gratum animum pollicebimur: precabimurquè DEUM, ut id agat, quod ob fortunarum tenuitatem nobis non licet.

99. DICO 3. Est alia gratiarum actio, quæ obliqua dicitur; cùm nimirùm non agendo gratias, maximè gratias agimus; ostendentes, aut be-

beneficium esse majus, quàm ut vulgari modo agendæ sint gratiæ; aut amicitiam nostram esse majorem, quàm ut unum alteri gratias agere oporteat.

Epistola Gratulatoria.

100. DICO 1. Hæc Epistola est, qua dignitatem, honorem, aut id genus aliquid amico gratulamur.

101. DICO 2. In hac Epistolâ primò quantùm voluptatis ceperimus ex re, quæ fausta cecidit, explicabimus.

102. Secundò id boni, quod consecutus est, variis rationibus extollemus; quod tamen illius meritis respondere dicemus.

103. Demùm precabimur, ut id benevertat: ipsiquè, amicis, atquè Reipublicę faustum, ac felix sit.

104. DICO 3. Est quędam Gratulationis ratio obliqua: quà nimirum non amico, sed dignitati potiùs gratulamur, quę Virtutis ipsius, personæque fulgore illustrabitur.

105. Dicemus insupèr, nos illi minimè gratulari, sed gaudere potiùs, quòd in illâ dignitate occasionem habuerit exercendę Virtutis suæ.

Epistola Officiosa.

106. DICO: Hęc Epistola est, quà ultrò amicis operam nostram deferimus, cùm egeant subsidio. Hos itaquè hac Epistolâ oportebit, ultro delatô officio, ad postulandam operam provocare.

Epistola Collaudatoria.

107. DICO: Epistola Collaudatoria est, qua aliquem, utpotè officio perfunctum, collaudamus; Virtus enim laudata crescit.

108. Ad-

108. Adhortationem in eâ adhibemus, ut quam adhuc ingressus est laudis viam, tenere pergat.

Epistola Disputatoria.

109. DICO 1. Hæc Epistola est, quâ discutiuntur, quæ in Artibus, Scientiis, aut Sacris Literis continentur.

110. DICO 2. Utuntur hac Epistolâ viri eruditi, cùm aut sciscitantur de re quapiam, aut respondent sciscitanti, aut, si qua de re parùm convenit, disputant.

Epistola Jocosa.

111. DICO: In quovis Epistolarum genere, quoties id res patitur, locum habere potest jocus: sed tempestivus sit oportet, longequè absit à turpitudine; liberalis, decôriquè memor: atquè in eo affectatio diligentissimè vitanda erit.

Epistola Mixta.

112. DICO: Frequentissima est hæc Epistola, in quâ nimirum plures ex superioribus Literarum formis concurrunt. Ejus autem singulæ partes, juxtà præcepta proprię formæ construenda erunt: ut V. G. si Epistola Consolatione, & Suasione constet, ejus Leges in Consolatoriâ, atquè Suasoriâ invenies, &c. & sic de reliquis.

Varia Epistolarum Genera, & Nomina.

113. DICO tandem: Qui plura, & quidem apprimè curiosa, summàque Eruditione referta, de Epistolarum inventione, materiâ, instrumentis, usu, diversitate, nominibus, &c. desiderat, legat Polymath. Philologic. Joannis Jonstoni Lib. 2. Cap. 65. ex quo hîc illud subnectam: Epistolas à Summo Pontifice scriptas dici APOSTO-

LI-

LICAS: à Clero, fede vacante, CLERICAS; certâ formulâ conceptas, & in legem tranſituras, FORMATAS (COMMUNICATORIAS, CANONICAS) à Synodo ad totam Eccleſiam miſſas, CIRCULARES) ENCYCLICAS, CATHOLICAS) à Pontifice R. ad quæſita, DECRETALES; amico adventanti obviam, METATORIAS (ADVENTORIAS) prò inſtructione ad diverſas Eccleſias, PASTORALES; ad Synodos, vel à Synodis, SYNODICAS: ab incarceratis ad Epiſcopos prò lapſis datas, CONFESSORIAS: ab Epiſcopo Clericis peregrinantibus, COMMENDATORIAS. CABALLICAS Curſores in caballatione deferebant: DIMISSORIÆ Clericum cùm Antiſtitis ſui ſcitu aliquo profectum ſignificabant: PRAGMATICIS aliquid faciendum præſcribebatur: COMMONITORIALIBUS (MEMORIALIBUS) Legati inſtruebantur: SYSTATICIS commeatus dari jubebatur: TACTORIIS Epiſcopi ad Concilium, cùm authoritate curſu, & ſtativis publicis utendi, evocabantur, &c. Hęc ille.

114. Latini Sermonis familiares. Clauſulas, ad Epiſtolas contexendas, ex Cic. Alb. de Eyb in ſuâ Margaritâ Poëtarum habet uberrimè.

MI-

MILES POETICUS,

SEU

ARTIS POETICÆ COMPENDIUM.

BELLICUM quoque arcum, pharetramquoquè, & sagittas cùm suâ lyrâ nectit Arbiter, & Rex Musarum Apollo. Spartani ad citharæ sonum in aciem irruebant. Atquè Ottoberti Comitis ad spem victoriæ è bello referendæ Hieroglyphicum fuit, Armata Manus Citharam tenens, cùm lemmate (Hæc mihi tuba) Et nos, aspirante Numine, ac Magnâ ejus Matre, sub Apollonis, Musarumquè vexillo Poëticas acies instruimus: nam

Militat, & Vates, & habent sua castra Camænæ:

Poësis enim eò tendit, ut delectet simul, & moneat; ut aureis videlicet, nitidisquè armis arcu sonoro evibratis, dulce vulnus incutiat, vincat, triumphet.

Jam Poëtici Militis Armamentarium, seu Argumentorum Inventio: Militiæ Ordo, seu

Dispositio; Armorum Fulgor, & Ornamenta, seu Elocutio eadem: ferè eædem in summâ pugnandi Leges, ac Rhetorici Bellatoris: eorundem tamen omnium usus non nihil diversus, pauloquè liberior in Poësi, licet metro adstrictus. Peculiare igitur Poëticæ Militiæ Leges, sequentibus Exercitationibus vobis aperiam. Sit

EXERCITATIO I.

De Poesi in Genere.

1. QUamvis Naturæ beneficium sit Poesis (Orator enim fit, Poëta nascitur, ut communi fertur proloquio) ars tamen juvat, nè sinè Legibus Poëticus furor temerè divagetur.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Poesis, quænam ejus Materia, & Finis.

2. DICO 1. Poësis, quæ Latinè sonat, Fictio, est Ars hominum actiones effingens, easquè ad vitam instituendam. Carminibus exprimens. Undè quicquid vero simile non est, vitio vertendum Poëtæ. Ejus materia est, quicquid circà humanas actiones versatur. Finis est, imitatione., & Carmine delectando, docere; quod innuit Horatius:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo:
Unde, ex veteri Poeta Latino, Torq. Taßus ad Musam:

Sai

Sai, che là corre il mondo, ove più versi
Di sue dolcezze il lusinghier Parnaso,
E che 'l vero condito in molli versi
I più schivi allettando hà persuaso,
Cosi a l' egro fanciul porgiamo aspersi
Di soave licor gli orli del vaso:
Succhi amari ingannato intanto ei beve,
E da l' inganno suo vita riceve.

3. DICO 2. Si quis nihil imitetur, aut fingat, etiamsi Carmina contexat, absolutè Poëta non est, sed potiùs Versificator, id est Versuum Constructor: sicùt etiam si quis imitetur, & fingat, sed extrà Carminis numerum; nequè absolutè, & rigorosè Poëta dicendus est, sed merus Auctor Fabularum. Quod si nonnunquam solutæ Orationis opera dicantur Poësis, id non absolutè, sed additâ limitatione, Soluta quædam Poësis: sicut etiam picturam, mutam Poësim; Poësim vero, loquacem picturam nuncupamus.

4. DICO 3. Ex prædictâ Poëseos Definitione patet, turpium Carminum Scriptores Poëtico nomine indignos esse, utpotè qui hominum mores deturpare conentur potiùs, quàm rectè instituere, & docere: ut, non sinè multâ eruditione, & ingenio, ostendit P. Fam. Strada Lib. 2. Prol. 3.

INSTRUCTIO II.

Quæ juvent venam Poeticam.

5. DICO 1. Præter ea, quæ confert Natura, quinquè Ars presidiis juvat Poëticam venam, quarum primùm est ipsius Artis Poeticæ Notitia, & Leges.

6. Secundum Exercitatio in legendis, elucubrandis, ac memoriæ Carminibus committendis: ità ut nulla dies sine lineâ.

7. Tertium severa Lima in Carminibus iterùm, iterumquè perpoliendis: undè Flaccus in Arte:

. . . . Carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit; atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Sic legimus Poetas, & quidem celeberrimos, multos, multosquè annos ad unius vel per brevis Poëtici operis structuram insumpsisse.

8. Quartum omnium ferè Disciplinarum mediocris saltem petitia. Hinc cùm aliquid circâ Artem, aut Scientiam aliquâm est componendum, Libros, vel ipsius Facultatis viros peritos consule, ne turpiter erres in ijs, quæ ad ipsos pertinent. Itaque si naturalem Historiam diligentiùs indagasset Virgilius, haud profectò finxisset Æneam septem Cervos ferientem in Africâ; quæ quidem tellus nullos Cervos progignit: nec Pindarus Cervæ cornua tribuisset, quæ minimè habet.

9. Quintum est Imitatio, de qua diximus in Arte Rhetorica. Addo hîc posse puerorum ingenia imitatione exercere.

Primò, si centonem contexant; quo scilicet plura probati Auctoris fragmenta, ad aliam Sententiam longè diversam explicandam, veluti simul farciantur:

Secundò, si aliquid ex probato Auctore, eodem metro, diversis tamen verbis, exprimant:

Tertiò, si iisdem verbis, variò metro canant:

Quar-

Quartò, si solutam Orationem Poëtico numero ligent:

Quinto, si ex uno Idiomate ad aliud Versus invertant.

INSTRUCTIO III.

De Poetarum erratis.

10. DICO 1. Errare possunt Poëtæ circà ea, quæ ad alias Facultates pertinent; quod quidem vitium est non exiguum, sed tamen facilè condonandum; quis enim omnium Artium, Scientiarùmque penetralia adire possit.

11. DICO 2. Errare etiam possunt Poëtę circà ea, quæ ad se pertinent; primò quoad rem ipsam, secundò quoad modum illam explicandi. Quoad rem peccant, cùm imitatione ipsâ labuntur, nec verisimilia fingunt: ut si quis, ob jacturam parvi momenti, plorantem Magnum Alexandrum, genàsque unguibus lacerantem effingeret: quoad modum peccant Poëtæ, si in aliquod è septem illis vitiis incidant, quæ hiscè Versiculis continentur.

Peccas, si tumidu , durus, puerilis, & audax.
Si trivialis erit Versus, jejunus, hiulcus.

12. DICO 3. Nonnunquàm ex industriâ fit Versus asper, interruptus, tardus, aut velox, ut sono etiam, numeroquè rem imitetur, quam verbis exprimit; vel affectum, quem explicare, aut movere contendit. Sed hæc Poëtarum observatione discuntur potiùs, quàm pręceptis. Hac in re unicus est Virgilius.

INSTRUCTIO IV.

Scriptores de re Poetica benè meriti.

13 DICO 1. Præter Veteres, plures etiam docti Recentes Poësim suis elucubrationibus illustrarunt. Aliis omissis, placet solos Nostræ Societatis Auctores præcipuos recensere. Jam

E Societate Jesu Poeticas Pręceptiones scripserunt.

14. Alexander Donatus, Andreas Frusius, Andreas Schottus, Antonius Jordinus, Antonius Possevinus, Benedictus Pereira, Bernardinus Sempervivus, Carolus Payot, Didacus Garcia Rengifo, Franciscus Macedo, Franciscus Mangot, Jacobus Masenius, Jacobus Pontanus, Jodocus Desmaretz, Josephus Spucces, Laurentius Lebrun, Martinus Antonius Delrio, Martinus du Cygnè, Michael Coyssardus, Nicolaus Caussinus, Petrus Halloix, Petrus Mambrun, Petrus le Moyne, Philippus Labbe, Tarquinius Gallutius, Thomas Gonzalez.

Varii generis Poemata.

15. Adalbertus Tylkouuski, Adamus VVidel, Adrianus de Boulogne, Adrianus Jordanus, Ægidius Bavarius, Albertus Croissant, Albertus Ines, Alexander Donatus, Alexander Vuilthemius, Andreas Ægidianus, Andreas Blancus, Andreas Brunner, Andreas Denys, Andreas Frusius. Andreas Kanno, Andreas Moragues, Andreas Rosenvald, Andreas Zieneùvicz, Angelinùs Gazæus, Annibal Adamus, Antonius

Chanut,

Chanut, Antonius de Eſcobar, Antonius Goletus, Antonius Millieus, Antonius de Soſa, Antonius Stratius, Arnaldus Angelus, Arnaldus Bohyræus, Balduinus Cabbilliavus, Bandinus Gualfredduccius, Bartholomæus Bravus, Bartholomæus Pereyra, Bartholomæus Rogatus, Benedictus Bonnefoy, Bernardinus Realinus, Bernardinus Sempervivus, Bernardinus Stephonius, Bernardus Bauhuſius, Carolus Bovius, Carolus le Breton, Carolus Franciſcus de Luca, Carolus Melapertius, Carolus Papinus, Carolus de la Rue, Carolus VVerpæus, Claudius Perry, Conſtantinus Pulcherellus, Cornelius Crocus, Dionyſius Peravius, Edmundus Campianus, Emmanuel Pimenta, Emmanuel Theſaurus, Franciſcus Acerbus Franciſcus Bencius, Franciſcus Carrera *Preceptor meus, qui Lyrici Carminis ſublimitate, apud eos, qui hac in re ſapiunt, Pindari Sicilienſis cognomentum adeptus eſt:* Franciſcus Garaſſus, Franciſcus Macedo, Franciſcus Mangot, Franciſcus Marazzanus, Franciſcus Motmorenus, Franciſcus Ramirez, Franciſcus Remundus, Franciſcus Vavaſſeur, Gabriel Coſſartius, Gaſpar Sanctius, Georgius Fauterel, Georgius Stengellius, Gerardus Grunſel, Gerardus Anſen, Gerardus Montanus, Gilibertus Joninus, Gualterius Paulus, Guilelmus Becanus, Guilelmus Dondinus, Guilelmus Grumſel, Guilelmus Heſius, Henricus Engelgrave, Henricus Puzius, Hermannus Hugo, Hieronymus Lopez, Hippolytus Graſſetus, Hippolytus Sangeorgius, Horatius Turſellinus, Hortenſius Scammacca, Hyacinthus Hurandus,

Jacobus Balde, Jacobus Balde, Jacobus Bidermannus, Jacobus Boireau, Jacobus de Code, Jacobus Damianus, Jacobus Dheliot, Jacobus Franciſcus Via; Jacobus du Jardin, Jacobus Irſing, Jacobus Libenus, Jacobus Pontanus, Jacobus VVallius, Joannes Arnbruſterus, Joannes Baptiſta Bargioccus, Joannes Baptiſta Caſilius, Joannes Baptiſta Gandutius, Joannes Baptiſta Giattinus, Joannes Baptiſta Maſculus, Joannes Biſſelius, Joannes Boierus, Joannes Brantus, Joannes de Buſſieres, Joannes Chevalier, Joannes Deshaies, Joannes Fayon, Joannes Gaudin, Joannes Henricus Auberius, Joannes Kreihing, Joannes Kuviatkievvicz, Joannes Laurentius Lucchefinus, Joannes Leurenius, Joannes Nieſs, Joannes Streinius, Joannes Surius, Joannes Tullenſis, Joannes Vincatius, Joannes VVielevviecki, Joſephus Anchieta, Joſephus Simoni, Iſaacus Vander Mye, Julius Cæſar Deſtitus; Julius Cæſar Recupitus, Julius Solimanus, Laurentius le Brun, Leo Sanctius, Leonardus Cinnamus, Leonhardus Frizon, Ludovicus Cellotius, Ludovicus Cruſcius, Ludovicus Magnietius, Ludovicus Mæratius, Marius Bettinus, Matthæus Raderus, Matthæus Riccius, Matthias Caſimirus, Mauritius Neoportus, Maximilianus Habbequius, Maximilianus Schmidt Melchior Inchofer, Nicolaus Avancinus, Nicolaus Cauſſinus, Nicolaus Kmicic, Nicolaus Suſius, Otho, Zylius, Paulus Princeps, Petrus Alois, Petrus Joſephus d'Orleans, Petrus Joſſet, Petrus Juſtus Sautel, Petrus Labbe, Petrus Manbrun, Petrus le Moyne, Pe-

trus

trus Mussonius, Petrus Pannequin, Petrus Possinus, Petrus Sterglerus, Philippus Bebbius, Philippus Briet, Philippus Fehnle, Philippus Labbe, Renatus Rapin, Robertus Southuvellus, Scipio Paulutius, Severinus Karuuart, Sfortia Pallavicinus, Sidronius Hoſchius, Stephanus Aquilarius, Stephanus Crucius, Stephanus Tuccius, Tancredus Cottonius, Tarquinius Gallutius, Thomas Clagius, Thomas Porzekius, Valentinus Biatovvicz, Vincentius Guiniſius, Vitalis Theronus; præter alios, qui ſoluto mixtim, vinctoquè ſtylo plura edidere, ut in Bibliothe. Socict. P. Nathan Sotuel.

16. DICO 2. Noſtris addi poſſent quotquot è Noſtris *S*cholis primæ notæ Muſarum deliciæ prodiêre: quos inter Torquatus Taſſus, Joannes Baptiſta Marinus, Gabriel Chiabrera, Andreas Salvadorius, Virgilius Cæſarinus, Joannes Ciampolus, Fulvius Teſtius, Guido Ubaldus, Hieronymus Preti, quorum meminit Card. Pallavicinus in Vindic. Soc. cap. 19. prętcr alios Juniores, quos vel prima Noſtrorum cura erudivit, vel ultima ſaltem lima perpoliit, vel qui olim Noſtræ Societati nomen dederunt, quorum, & ætate, & Poëſeos laude non ultimus Siculus noſter Annius Venetianus.

17. DICO 3. Præter Poëtas Linguæ Latinę Parentes, quorum hauſtum omni veneno expurgatum in quotidianis Prælectionibus vobis delibandum propino, Noſtræ Societatis Auctores innocuis Adoleſcentibus legendos propoſui, quòd & ad unguem Priſcos ſtylo, ac ſermone imitentur: quodquè adeò illimi fluant Hippo-

erene, ut nihil indè morum candori timendum sit.

INSTRUCTIO V.

Poeseos Ornamenta, & Figuræ.

18. DICO: *Præter* Figuras, quas diximus in Arte Rhetorica, ubi de Elocutione egimus, quarum præcipua pars Oratoribus cùm Poëtis communis est; habentur etiam aliæ Figuræ Poëtarum propriæ, utpotè quæ Carminum dimensioni inserviant; quas brevissimè referam.

Synæresis.

19. DICO: Synæresis, quæ à nonnullis etiam Episynalœphe, & Synecphonesis dicitur, est, cùm duæ Syllabæ in unam contrahuntur: V. G. Virg.

Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens.

Diæresis.

20. DICO; Diæresis, seu Dialysis, est, cùm ex unâ Syllabâ fiunt duæ: V. G. Aulaï, pro, Aulæ; Pictaï, prò Pictæ; Persolvënda, quinque Syllabarum, prò Persolvenda, quatuor Syllabarum, ut Catul.

Nunc, quoque, te salvo, persölvenda mihi.

Ecthlipsis.

21. DICO 1. Ecthlipsis est, cùm Litera, M. cùm Vocali præcedente à sequenti Vocali, aut Diphthongo eliditur; quod fit etiam, si Vocalis, vel Diphtongus sequens cùm aspiratione conjungatur: quamvis velit nonnemo, aspirationem quandóque habere vim Consonantis: sed au-

audiendus non est Ecthlipsis exemplum est ex Virg.

Dejecturum arces Italum, excidioque daturum.

22. DICO 2. Antiqui subsequente Vocali, in fine præcedentis dictionis M. corripiebant: V.G. ex Lucretio:

Corporum augebit numerum, summamque sequetur.

23. DICO 3. Idem quandòque, sequente Consonante, M. Literam finalem collidebant, Syllabam corripiendo: V. G. Lucretius.

Lanigera proles, & equorum duellica proles.

Nisi fortè velis vocem illam, duellica, esse Dactylum beneficio Synæresis.

24. DICO 4. Quandòque Poëtæ ultimam Syllabam alicujus Versus M. Literâ terminatam elidunt primâ Vocali Carminis sequentis. Sed id non fiat, nisi ad rem, quam dicimus, sono Carminis magis explicandam: V. G. Virgilius:

Jamque Iter emensi, turres, ac tecta Latinorum.

Ardua cernebant, &c.

25. DICO 5. Veteres in fine vocis etiam S. collidebant, Syllabam corripiendo: V. G. Ennius:

Te nunc sancta precor Venus, & Genitrix patris nostri, &c.

26. DICO 6. Idem quandòque non solùm S, sed Vocalem quòque præcedentem elidebant, sequente Vocali: V. G. Ennius:

Contentus, scitus, atque beatus secunda vocatur.

SYNALOEPHE.

27. DICO 1. Synalœphe est, cùm Vocalis, aut Diphthongus à vocis sequentis primâ Vocali, aut Diphthongo absorbetur: & tunc quantitatis, in absorptâ Literâ, aut Sillabâ, Ratio non habetur, sed Syllabæ sequentis: V. G. Virgilius:

Exin quæ in mediis ingenti adnixa Columnę.

28. DICO 2. Particulæ illæ, O, Ah, Heu (addunt nonnulli Huic, & Cui monosyllabum) à sequenti Vocali minimè absorberi consueverunt: V. G. Ovidius.

O utinam tunc, cùm Lacedæmona classe petebat.

Tibullus:

Ah ego ne possim tanta videre mala.

Ovidius:

Heu ades, & surdas flamine tunde fores.

29. DICO Synalœphe fit etiam quandòque per elisionem ultimæ Syllabæ unius Carminis à primâ Carminis sequentis Vocali, aut Diphthongo incipiente: V. G. Virgilius:

Et spumas miscent argenti, vivaque Sulphura.

Idæâsque pices, &c.

DIALOEPHE.

30. DICO 2. Dialœphe est, cùm nec Vocalis, nec Diphthongus à sequenti Vocali absorbetur: qua quidem Figurâ Græcis familiari parcius utuntur Latini: V. G. Virgilius; *Et*

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

31. DICO 2. Quandòque nonsolum Vocalis non absorbetur, verùm etiam, si erat longa, fit brevis beneficio Vocalis subsequentis: V. G. Virgilius.

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

ECTASIS, ET SYSTOLE.

32. DICO 2. Ectasis, seu Diastole, est cùm Syllaba, naturâ brevis, producitur: vel geminatur Literà, ut Syllaba producatur: ut Repperit, Rettulit, Relligio, Relliquiæ, &c. Sed in his non nisi bonos Auctores imitari fas est. Erit Exemplum ex Virgilio:

Italiam fato profugus, lavinaque venit, &c. ubi prima Syllaba illius vocis, Italiam, ob metri necessitatem producitur. Idem

Repperit ossa tamen peregrina cognita terra.

33. DICO 2. Systole est, cùm Syllaba, alioqui naturâ longa, corripitur V. G.

Illi autem paribus, quos fulgere cernis in armis.

34. DICO 3. Ad hanc Figuram reducuntur tertiæ personæ plurales præteriti perfecti modi indicativi, quarum penultimam Syllabam in aliquibus verbis corripiunt interdum Poëtæ: ut Steterunt, Dederunt, Tulerunt, & similia.

35. DICO 4. His duabus Figuris uti solent Poëtæ, ob metri necessitatem, in illis vocibus, quæ in Carmine locum habere nequeunt, nisi quantitas alicujus Syllabæ permutetur: V. G. Ovidius:

Ri-

Ritus erat veteris nocturna lemuria sacri.
ubi secunda Syllaba in voce lemuria; ob necessitatem producitur, quod quatuor breves in hexametro Carmine locum habere non possunt. Prudentius.

Plantis calceamenta dissolutis.
ubi ob Hendecasyllabi Phaleuci necessitatem, quod secundum pedem dactylum amat, tertia Syllaba in voce Calceamenta, sit brevis.

36. DICO 5. Si occurrat nobis nomen aliquod Urbis, vel personæ, vel alterius rei, cujus Sillabarum quantitas talis est, ut in Carmine, quod constructuri sumus locum non habeat; tutius erit nomen illud prætermittere, quàm ejus quantitatem permutare, nisi alicujus boni Auctoris exemplum ipsâ eâdem voce præcessit. Sic fecit Horatius, qui oppiduli nomen nescio cujus, cui, quantitatis vitio, in hexametro Carmine locus non erat, lepidè prætermisit: itaquè cecinit:

Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.
Sic etiam Ovidius, cùm vellet dicere, Tuticanum, cujus nomen, utpotè primam Syllabā longam habens, secundam brevem, tertiam longam, hexametro Carmini ineptum erat; sic indè jocatus est:

Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis.
Nominis efficitur conditione tui.
Lex pedis officio, fortunaque nominis obstat:
Quaque meos adeas est via nulla modos.
Idem ad eundem.
Et potes in versu Tuticani more venire,

Fiat

Fiat ute longa Syllaba prima brevis;
Aut ut ducatur. quæ nunc correptius exit,
Et fit porrecta longa secunda mora.

Verùm addit tandem;

His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
Ridear, & merito pectus habere neger.

CÆSURA.

37. DICO: Cæsura, quæ ab aliquibus Incisum, ab aliis Concisio, seu Sectio, aut Articulus vocatur, est, cum ultima Syllaba alicujus vocis in Carminibus dimetiendis abundat extrà pedem antecedentem, & vel sola remanet, vel ad pedem sequentem spectat quam quidem Cæsuram, etsi naturâ brevem, producere potest Poëta: V. G. Virgilius:

Omnia vincit amor, & nos cedamus; amori

Ovidius:

Indigus effectus omnibus ipse magis.

INSTRUCTIO III.

Aliæ Poëtarum Figuræ.

38. PRæter enumeratas Figuras, quæ ad Carminum dimensionem spectant, aliæ habentur, in eo sitæ, ut Oratorum verbis aliquid addatur, detrahatur, vel immutetur: de his breviter agendum.

PROTHESIS.

39. DICO: Prothesis est, quæ in principio dictio-

dictionis aliquid addit: V. G. Gnavus, prò, Navus; Gnatus, prò Natus: Horatius:

At pater ut Gnati; sic nos debemus amici.

A P H Æ R E S I S.

40. DICO: Aphæresis est, quæ in principio dictionis aliquid tollit; V. G. Ruo, prò, Eruo: Virgilius.

Et . . . . & spumas Salis ære ruebant.
. . . . . dabit ille ruinam.
Arboribus stragemque satis ruet omnia latè.

S Y N C O P E.

41. DICO: Syncope est, quæ è medio vocis aliquid tollit: V. G. Vincla, prò Vincula; Periclum; pro, Periculum; Flêrunt, prò, Fleverunt; Valdius, pro, Validius; Vixet, prò, Vixisset. Virgilius:

Vixet, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.

E P E N T H E S I S.

42. DICO: Epenthesis est, cùm in medio vocis aliquid additur: V. G. Mavors, prò, Mars; Navita, prò, Nauta. Huc reducunt aliqui geminationem Consonantis; ut, Reppulit, prò, Repulit &c. de qua diximus suprà. Virgilius.

Navita tùm Stellis numeros, & nomina fecit.

APO-

APOCOPE.

43. DICO: Apocope eſt, quæ in fine aliquid voci tollit: V. G. Noſtin, prò, Noſtine; Tun, prò, Tune: Ingenî, prò, Ingenii; Tugurî, & in ſimilibus Genitivis, quorum poſtremę Literę, ſuperſtiti aliqui Accentum circumflexum imponunt; aliqui Literam i caudatam inſcribunt. Virgilius:

Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

PARAGOGE.

44. DICO. Paragoge eſt, quæ in fine aliquid addit. Hac uti ſolent Poetæ, præſertim in fine Infinitivi præſentis paſsivi, additâ Syllabâ, Er: V. G. Scribier, pro, Scribi; Amarier, prò, Amari; Avellier, prò, Avelli. Horatius.

Inſidias fieri, pretiùmque avellier inde.

TMESIS.

45. DICO; Tmeſis, Hyperbati ſpecies, quę & Diacope dicitur, eſt, cùm vox dividitur, aliqua dictione interpoſita, V. G. Quo nos cunquè, prò, Quocunquè nos. Horatius.

Quo nos cunque feret melior fortuna parente.

METATHESIS.

46. DICO: Metatheſis eſt, quæ Literarum Ordinem permutat: V. G. Tymbre, pro, Tymber; Facit are, prò, Arefacit. Virgilius:

Nam

Nam tibi, tymbre, caput evandrius abstulit ensis.

Quamvis velit nonnemo, Tymbre, Vocativum esse à Nominativo, Tymbrus. & Lucret.

Principio terram Sol excoquit, & faeitare. id est, arefacit.

ANTITHESIS.

47. DICO: Antithesis est, quæ, servato Syllabarum, & Literarum Ordine, Literam commutat aliquam: V. G. Olli, pro, Illi. Virgilius.

Olli cæruleus suprà caput astitit imber,

HELLENISMUS.

48. DICO: Hellenismus, seu Græcismus, est Græci Idiomatis imitatio, sivè in Nominum, ac Verborum inflexione, sive etiam in Grammaticæ Legibus. V. G. Ilion, prò, Ilium, Helene, prò, Helena; Orpheos, prò Genitivo, Orphei, Orphea, prò, Orpheum; & similia: V. G. Ovidius.

Atque utinam velles Helene non pluribus esse.

Horatius Constructione Cræcà usus est ubi dixit.

. . . . *desine mollium*
Tandem querelarum &c.

prò, desine molles querelas.

Et Virgilius:

. . . . *varium, & mutabile semper*
Fæmina &c.

prò, Varia, & mutabilis.

Qui-

Quidam celeberrimus quidem Recentior, Hellenismo usus, Aquilonâ, Accusativum formavit prò, Aquilonem.

ARCHAISMUS.

49. DICO. His addi posset Archaismus, quæ est Veterum imitatio in aliqua voce, vel Constructione: V. G, Absente nobis, prò Absentibus nobis: Me indulgeo; prò, Mihi indulgeo; Neminem nocere, prò, Nemini nocere. Terentius.

Nescio quid profectò, absente nobis turbatum domi.

EXER-

EXERCITATIO II.

DE ELEGIACA POESI.

I.

MULTI Elegias scribunt, sed perpauci ejus Artificium norunt, ut ait Pontanus. Placet mihi ab Elegiâ exordiri, tùm quià Poësis est inprimis jucunda, atquè amabilis; tùm quià, hac Tractatione habità, facilè poteritis Elegiæ, quæ in nostro hoc Parnasso mox recitanda erit, vel artificium agnoscere, vel errores depræhendere.

INSTRUCTIO I,

Elegiæ Nomen, Auctor, & Definitio.

2. DICO 1. Elegia hoc nomen sortita est ἀπὸ τ ἔλεον λέγεν vel ἒ ἒ λέγειν, quæ Interjectiones Tragicis erant valdè usitatæ in rebus flebilibus.

3. DICO 2. Elegię auctorem alii Polymnestorem Colophonium, alii Theoclem Naxium fuisse tradiderunt. Horatius dubium esse testatur illis Carminibus. Qui

Quì tamen exiguos Elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

352. DICO 3. Cùm Donato Lib. 3. cap. 9. de Arte Poëticâ: Elegia definitur Poema, quod solum hexametro, & pentametro Versu conficitur, alternatim videlicet, ità ut post hexametrum, pentametrum Carmen succedat, Verùm

5. Objicies primò: Etiam Epigramma fit Versu hexametro, & pentametro: ergò hæc Definitio competit etiam Epigrammati, adeoquè rejicienda.

6. Respondeo: Epigramma fieri quidem potest Versu hexametro simul, & pentametrò; sed & alio metro, ut suo loco dicemus, Elegia verò solùm Hexametro, & Pentametro alternis conficitur. Alia discrimina, quæ inter Elegiam, & Epigramma intersunt, in Tractatu de Epigrammate vobis innotescent.

7. Objicies secundò: Elegia definitur à Didymo: Est Lamentatio, quæ ad tibiam canitur, quod lugubre Instrumentum est; ergò frustrà alia Definitio effingitur.

8. Respondeo: Contrà hanc Didymi Definitionem occurrit primò, quòd aliæ etiam funebres Cantilenæ, ut Næniæ, & Ode, saltem nonnullæ, ad tibiam cani solebant: Secundò, quòd progressu temporis Elegia nonsolùm res flebiles, verùm etiam Amores, Preces, Bella, Vota, Fastos, Laudes, Nuptias, Gratulationes, Triumphos, Convivia, Querelas in summâ res penè omnes complexa est.

INSTRUCTIO II.

ELEGIÆ ARTIFICIUM.

9. DICO 1. Elegiæ structura per tres partes fieri consuevit, quarum prima est Propositio, secunda Amplificatio, tertia Episodium, seu Digressio. Volunt aliqui quatuor esse Elegiæ partes, addunt enim in principio Invocationem. Sed hæc passim omittitur, adeoquè non est inter partes necessarias recensenda. Jàm de singulis aliquid breviter, more nostro.

PROPOSITIO.

10. DICO 2. Propositio est, qua rei tractandæ Argumentum significamus: quæ quidem Propositio vel simplex esse potest, vel ornata. Simplex est, quę merè Argumentum proponit: narrantis more: hæc magìs Epicorum, quam Elegorum propria est; qui nihilominus illâ in rebus gravibus non rarò usi sunt, ut Propertius:

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de Ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo &c.

Et idem:

Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Ornata erit Propositio (& quidem hæc sit vobis magis familiaris) si aliquâ præclara Figurâ, vel affectu involvatur, aut illi sternatur via: quod fieri potest primò per Conquestionem, vel Interrogationem. Ovidius:

Ergò

Ergò erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?

Propertius:

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es?
Per te immatura mortis adimus iter?

Vel:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!

Secundò per Narrationem. Ovidius.

Æstus erat, mediàmque dies exegerat horam:
Apposui medio membra levanda toro.

Tertiò per Insomnium. Prop.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina,
Jonio laxas ducere rore manus.

Quartò per Execrationem: V. G.

Terra tuum spinis obducat lena sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

Quintò per Prosopopœiam. Ovid.

Nux ego juncta via, cùm sim sinè crimine vita,
A populo saxis prætereunte petor.

Sextò per Cohortationem. Idem:

Psittacus eois ales mihi missus ab Indis
Occidit: exequias ferte frequenter, aves.

Septimò per invocationem Musæ, Nymphæ, Fluminis, ipsius Elegiæ, aut alicujus rei similis Tibull.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis.
Semper: sic hedera tempora vincta geras.

A M-

AMPLIFICATIO.

11. DICO 3. De Amplificatione diximus satis in Arte Rhetoricâ. Hîc illud noto. Amplificationi Elegiacæ: quippè quæ in eo præsertim sita sit, ut affectus, animique motus figantur simul, & describantur, passim inservire Exempla, Similitudines, Inductiones nonnunquã Apophthegmata obiter indicata, Commiserationes, Exclamationes, Querimonias, Antecedentia, & Consequentia, Causas, & Effecta, Opposita, Prosopopæias, Argumenta à maiore ad minus, vel à minore ad maius, Apostrophem ad res etiam inanimes, ut ad ferrum, aurum, Naves, Flumina, Lymphas, Arbores, Ventos, & similia.

Ovidius in Tibulli morte Elegiam ipsam ità alloquitur per Apostrophem.

Flebilis, indignos, Elegeia, solve capillos:
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in extructo corpus inane rogo.

DIGRESSIO.

12. DICO 4. Digressio, sivè Episodium, est cùm transitus sit ab argumento proprio ad rem potiùs ab illo non remotam, quàm cùm illo coniunctam, Jam vel poterunt plures digressiunculæ inter amplificandum adhiberi, & sæpiùs interrumpi; vel poterit unica esse digressio, quę ad finem usquè continuetur; aut ad rem undè discesserat, redeat, breviquè Sententiâ

tandem

tandem Elegiæ Coronidem imponat.

13. DICO 5. Digressio fiat, cùm jàm satis explicata res fuerit, de qua præcipuè agimus. Digressionis viam aperire commodè poterit Fabula aliqua, vel Historia, aut laus Virtutis, vitii repræhensio, rei alicujus Descriptio, aut Narratio, Epiphonema, Sententia, &c.

Sic Propertius, cùm temporis sui luxum amplificasset, ità ad prisci Sæculi laudes digressus est:

Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis, & arbor erant,
Illi munus erat, &c.

INSTRUCTIO III.

Elegiæ Stylus.

14. DICO 1. Elegiæ stylus tersus sit, lenis, ingenuus, perspicuus, tener, patheticus; Sententiis exquisitis, & nimiùm argutis minimè offuscatus, atquè impeditus.

15. DICO 2. Ad Elegiæ venustatem conferunt Figurarum ornamenta, tùm quæ in verbis, tùm quæ in Sententiis sitæ sunt: sed præcipuè Repetitio, vel Iteratio Elegiam exornat: V. G. Ovid.

Altera tela arcus, altera tela faces.

Propêr.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Idem:

Totus & argento contextus, totus, & auro.

Quæ Figura, si sit in principio, magis arridet: V. G. Tibull.

SYNALOEPHE.

27. DICO 1 Synalœphe est; cùm Vocalis, aut Diphthongus à vocis sequentis primâ Vocali, aut Diphthongo absorbetur: & tunc quantitatis, in absorptâ Literâ, aut Sillabâ, Ratio non habetur, sed Syllabæ sequentis: V. G. Virgilius:

Exin quæ in mediis ingenti adnixa Columnę.

28. DICO 2. Particulæ illæ, O, Ah, Heu (addunt nonnulli Huic, & Cui monosyllabum) à sequenti Vocali minimè absorberi consueverunt: V. G. Ovidius.

O utinam tunc, cùm Lacedæmona classe petebat.

Tibullus:

Ah ego ne possim tanta videre mala.

Ovidius:

Heu ades, & surdas flamine tunde fores.

29. DICO Synalœphe fit etiam quandòque per elisionem ultimæ Syllabæ unius Carminis à primâ Carminis sequentis Vocali, aut Diphthongo incipiente: V. G. Virgilius:

Et spumas miscent argenti, vivaque Sulphura.

Idæàsque pices, &c.

DIALOEPHE.

30. DICO 2. Dialœphe est, cùm nec Vocalis, nec Diphthongus à sequenti Vocali absorbetur: qua quidem Figurâ Græcis familiari parcius utuntur Latini: V. G. Virgilius; *Et*

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

31. DICO 2. Quandòque nonsolum Vocalis non absorbetur, verùm etiam, si erat longa, fit brevis beneficio Vocalis subsequentis: V. G. Virgilius.

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

ECTASIS, ET SYSTOLE.

32. DICO 1. Ectasis, seu Diastole, est cùm Syllaba, naturâ brevis, producitur: vel geminatur Literà, ut Syllaba producatur: ut Repperit, Rettulit, Relligio, Relliquiæ, &c. Sed in his non nisi bonos Auctores imitari fas est. Erit Exemplum ex Virgilio:

Italiam fato profugus, lavinaque venit, &c. ubi prima Syllaba illius vocis, Italiam, ob metri necessitatem producitur. Idem

Repperit ossa tamen peregrina cognita terra.

33. DICO 2. Systole est, cùm Syllaba, alioqui naturâ longa, corripitur V. G.

Illi autem paribus, quos fulgere cernis in armis.

34. DICO 3. Ad hanc Figuram reducuntur tertiæ personæ plurales præteriti perfecti modi indicativi, quarum penultimam Syllabam in aliquibus verbis corripiunt interdum Poëtæ: ut Steterunt, Dederunt, Tulerunt, & similia.

35. DICO 4. His duabus Figuris uti solent Poëtæ. ob metri necessitatem, in illis vocibus, quæ in Carmine locum habere nequeunt, nisi quantitas alicujus Syllabæ permutetur. V. G. Ovidius:

Ri-

Ritus erat veteris nocturna lemuria sacri,
ubi secunda Syllaba in voce lemuria, ob necessitatem producitur, quod quatuor breves in hexametro Carmine locum habere non possunt. Prudentius.

Plantis calceamenta dissolutis,
ubi ob Hendecasyllabi Phaleuci necessitatem, quod secundum pedem dactylum amat, tertia Syllaba in voce Calceamenta, fit brevis.

36. DICO 5. Si occurrat nobis nomen aliquod Urbis, vel personæ, vel alterius rei, cujus Sillabarum quantitas talis est, ut in Carmine, quod constructuri sumus locum non habeat; tutius erit nomen illud prætermittere, quàm ejus quantitatem permutare, nisi alicujus boni Auctoris exemplum ipsâ eâdem voce præcesserit. Sic fecit Horatius, qui oppiduli nomen nescio cujus, cui, quantitatis vitio, in hexametro Carmine locus non erat, lepidè prætermisit: itaquè cecinit:

Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.
Sic etiam Ovidius, cùm vellet dicere, Tuticanum, cujus nomen, utpotè primam Syllabā longam habens, secundam brevem, tertiam longam, hexametro Carmini ineptum erat; sic indè jocatus est:

Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis.
Nominis efficitur conditione tui.
Lex pedis officio, fortunaque nominis obstat:
Quaque meos adeas est via nulla modos.
Idem ad eundem.

Et potes in versu Tuticani more venire,

Fiat

Fiat ut e longa Syllaba prima brevis;
Aut ut ducatur. quæ nunc coreptius exit,
Et fit porrecta longa secunda mora.
Verùm addit tandem;
His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
Ridear, & merito pectus habere neger.

CÆSURA.

37. DICO: Cæsura, quæ ab aliquibus Incisum, ab aliis Concisio, seu Sectio, aut Articulus vocatur, est, cum ultima Syllaba alicujus vocis in Carminibus dimetiendis abundat extrà pedem antecedentem, & vel sola remanet, vel ad pedem sequentem spectat quam quidem Cæsuram, etsi naturâ brevem, producere potest Poëta: V. G. Virgilius:

Omnia vincit amor, & nos cedamus; amori

Ovidius:

Indigus effectus omnibus ipse magis.

INSTRUCTIO III.

Aliæ Poëtarum Figuræ.

38. PRæter enumeratas Figuras, quæ ad Carminum dimensionem spectant, aliæ habentur, in eo sitæ, ut Oratorum verbis aliquid addatur, detrahatur, vel immutetur: de his breviter agendum.

PROTHESIS.

39. DICO: Prothesis est, quæ in principio dictio-

dictionis aliquid addit: V. G. Gnavus, prò, Navus; Gnatus, prò Natus: Horatius:

At pater ut Gnati; sic nos debemus amici.

APHÆRESIS.

40. DICO: Aphæresis est, quæ in principio dictionis aliquid tollit; V. G. Ruo, prò, Eruo: Virgilius.

Et . . . & spumas Salis ære ruebant.
Et . . . . dabit ille ruinam.
Arboribus stragemque satis ruet omnia latè.

SYNCOPE.

41. DICO: Syncope est, quæ è medio vocis aliquid tollit: V. G. Vincla, prò Vincula; Periclum; pro, Periculum; Flêrunt, prò, Fleverunt; Valdius, pro, Validius; Vixet, prò, Vixisset. Virgilius:

Vixet, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset:

EPENTHESIS.

42. DICO: Epenthesis est, cùm in medio vocis aliquid additur: V. G. Mavors, prò, Mars; Navita, prò, Nauta. Huc reducunt aliqui geminationem Consonantis; ut, Reppulit, prò, Repulit &c. de qua diximus suprà. Virgilius.

Navita tùm Stellis numeros, & nomina fecit.

APO-

APOCOPE.

43. DICO: Apocope eſt, quæ in fine aliquid voci tollit: V. G. Noſtin, prò, Noſtine; Tun, prò, Tune: Ingenî, prò, Ingenii; Tugurî, & in ſimilibus Genitivis, quorum poſtremę Literę, ſuperſtiti aliqui Accentum circumflexum imponunt; aliqui Literam i caudatam inſcribunt. Virgilius:

Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

PARAGOGE.

44. DICO. Paragoge eſt, quæ in fine aliquid addit. Hac uti ſolent Poetæ, præſertim in fine Infinitivi præſentis paſsivi, additâ Syllabâ, Er: V. G. Scribier, pro, Scribi; Amarier, prò, Amari; Avellier, prò, Avelli. Horatius.

Inſidias fieri, pretiùmque avellier inde.

TMESIS.

45. DICO; Tmeſis, Hyperbati ſpecies, quę & Diacope dicitur, eſt, cùm vox dividitur, aliqua dictione interpoſita, V. G. Quo nos cunquè, prò, Quocunquè nos. Horatius.

Quo nos cunque feret melior fortuna parente.

METATHESIS.

46. DICO: Metatheſis eſt, quæ Literarum Ordinem permutat: V. G. Tymbre, pro, Tymber; Facit are, prò, Arefacit. Virgilius:

Nam

Nam tibi, tymbre, caput evandrius abstulit ensis.

Quamvis velit nonnemo, Tymbre, Vocativum esse à Nominativo, Tymbrus. & Lucret.

Principio terram Sol excoquit, & facitare. id est, arefacit.

ANTITHESIS.

47. DICO: Antithesis est, quæ, servato Syllabarum, & Literarum Ordine, Literam commutat aliquam: V. G. Olli, pro, Illi. Virgilius.

Olli cæruleus suprà caput astitit imber,

HELLENISMUS.

48. DICO: Hellenismus, seu Græcismus, est Græci Idiomatis imitatio, sivè in Nominum, ac Verborum inflexione, sive etiam in Grammaticæ Legibus. V. G. Ilion, prò, Ilium, Helene, prò, Helena; Orpheos, prò Genitivo, Orphei, Orphea, prò, Orpheum; & similia: V. G. Ovidius.

Atque utinam velles Helene non pluribus esse.

Horatius Constructione Græcà usus est ubi dixit.

. . . . *desine mollium*
Tandem querelarum &c.

prò, desine molles querelas.

Et Virgilius:

. . . . *varium, & mutabile semper*
Fæmina &c.

prò, Varia, & mutabilis.

Qui-

Quidam celeberrimus quidem Recentior, Hellenismo usus, Aquilonâ, Accusativum formavit prò, Aquilonem.

ARCHAISMUS.

49. DICO. His addi posset Archaismus, quæ est Veterum imitatio in aliqua voce, vel Constructione: V. G, Absente nobis, prò Absentibus nobis: Me indulgeo; prò, Mihi indulgeo; Neminem nocere, prò, Nemini nocere. Terentius.

Nescio quid profectò, absente nobis turbatum domi.

EXER-

EXERCITATIO II.

DE ELEGIACA POESI.

I.

MULTI Elegias ſcribunt, ſed perpauci ejus Artificium norunt, ut ait Pontanus. Placet mihi ab Elegiâ exordiri, tùm quià Poëſis eſt inprimis jucunda; atquè amabilis; tùm quià, hac Tractatione habitâ, facilè poteritis Elegiæ, quæ in noſtro hoc Parnaſſo mox recitanda erit, vel artificium agnoſcere, vel errores depræhendere.

INSTRUCTIO I,

Elegiæ Nomen, Auctor, & Definitio.

2. DICO 1. Elegia hoc nomen ſortita eſt ἀπὸ τ ἔλεον λέγεν vel ἒ ἒ λέγειν, quæ Interjectiones Tragicis erant valdè uſitatæ in rebus flebilibus.

3. DICO 2. Elegię auctorem alii Polymneſtorem Colophonium, alii Theoclem Naxium fuiſſe tradiderunt. Horatius dubium eſſe teſtatur illis Carminibus. *Qui*

Quì tamen exiguos Elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

352. DICO 3. Cùm Donato Lib. 3. cap. 9. de Arte Poëticâ: Elegia definitur Poema, quod solum hexametro, & pentametro Versu conficitur, alternatim videlicet, ità ut post hexametrum, pentametrum Carmen succedat, Verùm

5. Objicies primò: Etiam Epigramma fit Versu hexametro, & pentametro: ergò hæc Definitio competit etiam Epigrammati, adeoquè rejicienda.

6. Respondeo: Epigramma fieri quidem potest Versu hexametro simul, & pentametro; sed & alio metro, ut suo loco dicemus, Elegia verò solùm Hexametro, & Pentametro alternis conficitur. Alia discrimina, quæ inter Elegiam, & Epigramma intersunt, in Tractatu de Epigrammate vobis innotescent.

7. Objicies secundò: Elegia definitur à Didymo: Est Lamentatio, quæ ad tibiam canitur, quod lugubre Instrumentum est; ergò frustrà alia Definitio effingitur.

8. Respondeo: Contrà hanc Didymi Definitionem occurrit primò, quòd aliæ etiam funebres Cantilenæ, ut Næniæ, & Odæ, saltem nonnullæ, ad tibiam cani solebant: Secundò, quòd progressu temporis Elegia nonsolùm res flebiles, verùm etiam Amores, Preces, Bella, Vota, Fastos, Laudes, Nuptias, Gratulationes, Triumphos, Convivia, Querelas in summâ res penè omnes complexa est.

IN-

INSTRUCTIO II.

ELEGIÆ ARTIFICIUM.

9. DICO 1. Elegiæ ſtructura per tres partes fieri conſuevit, quarum prima eſt Propoſitio, ſecunda Amplificatio, tertia Epiſodium, ſeu Digreſſio. Volunt aliqui quatuor eſſe Elegiæ partes, addunt enim in principio Invocationem. Sed hæc paſſim omittitur, adeoquè non eſt inter partes neceſſarias recenſenda. Jàm de ſingulis aliquid breviter, more noſtro.

PROPOSITIO.

10. DICO 2. Propoſitio eſt, qua rei tractandæ Argumentum ſignificamus: quæ quidem Propoſitio vel ſimplex eſſe poteſt, vel ornata. Simplex eſt, quę merè Argumentum proponit: narrantis more: hæc magìs Epicorum, quam Elegorum propria eſt; qui nihilominus illâ in rebus gravibus non raró uſi ſunt, ut Propertius:

Nunc Jovis incipiam cauſas aperire Feretri,
Armaque de Ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter aſcendo &c.

Et idem:

Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe ſepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Ornata erit Propoſitio (& quidem hæc ſit vobis magis familiaris) ſi aliquâ præclara Figurâ, vel affectu involvatur, aut illi ſternatur via: quod fieri poteſt primò per Conqueſtionem, vel Interrogationem. Ovidius:

Ergò

Ergò erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?

Propertius:

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es?
Per te immatura mortis adimus iter?

Vel:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!

Secundò per Narrationem. Ovidius.

Æstus erat, mediàmque dies exegerat horam:
Apposui medio membra levanda toro.

Tertiò per Insomnium. Prop.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina,
Jonio laxas ducere rore manus.

Quartò per Execrationem: V. G.

Terra tuum spinis obducat lena sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

Quintò per Prosopopœiam. Ovid.

Nux ego juncta via, cùm sim sinè crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

Sextò per Cohortationem. Idem:

Psittacus eois ales mihi missus ab Indis
Occidit: exequias ferte frequenter, aves.

Septimò per invocationem Musæ, Nymphæ, Fluminis, ipsius Elegiæ, aut alicujus rei similis Tibull.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis.
Semper: sic hedera tempora vincta geras.

tandem Elegiæ Coronidem imponat.

13. DICO 5. Digressio fiat, cùm jàm satis explicata res fuerit, de qua præcipuè agimus. Digressionis viam aperire commodè poterit Fabula aliqua, vel Historia, aut laus Virtutis, vitii repræhensio, rei alicujus Descriptio, aut Narratio, Epiphonema, Sententia, &c.

Sic Propertius, cùm temporis sui luxum amplificasset, ità ad prisci Sæculi laudes digressus est:

Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis, & arbor erant,
Illi munus erat, &c.

INSTRUCTIO III.

Elegiæ Stylus.

14. DICO 1. Elegiæ stylus tersus sit, lenis, ingenuus, perspicuus, tener, patheticus; Sententiis exquisitis, & nimiùm argutis minimè offuscatus, atquè impeditus.

15. DICO 2. Ad Elegiæ venustatem conferunt Figurarum ornamenta, tùm quæ in verbis, tùm quæ in Sententiis sitæ sunt: sed præcipuè Repetitio, vel Iteratio Elegiam exornat: V. G. Ovid.

Altera tela arcus, altera tela faces.

Propêr.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Idem:

Totus & argento contextus, totus, & auro.

Quæ Figura, si sit in principio, magis arridet: V. G. Tibull.

Quam citò purpureos amittit terra colores,
Quam cito formosas populus alta comas.

Si finis pentametri antecedentis sit initium subsequentis hexametri. Elegia majorem venustatem acquirit: V G. Ovid.

Ut mihi sunt toties maxima Vota mori,
Vota mori mea sunt, &c.

Si denique eodem modo claudatur pentametrum Carmen, ac incepit hexametrum, id venustissimum erit: V. G.

Phœbus adest, sonuere lyræ, sonuere pharetræ:
Signa Deum nosco per sua, Phœbus adest.

Secundò Parenthesis etiam, si brevis sit, & præsertim pathetica, decorem affert, & gratiam Elegiæ: V. G Ovid.

Cantabam, memini (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

Tertiò Figuræ Regressio, de qua suo loco diximus, venustatis plurimùm præbet Elegiaco Versui:

Demophoon, ventis, & verba, & vela dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

INSTRUCTIO IV.

Elegiæ Virtutes & Vitia.

16. DICO 1. Virtus Elegiæ erit, si crebræ Synalœphe, Ecthlipses, omnisquè asperitas, quæ Styli suavitati officiunt, evitentur. Hiulcam in pentametri medio continuationem odit Elegia: quamvis illâ quandoquè boni Auctores usi sint. Ut Catull. *Tro-*

Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Et:

Muneraque, & Musarum hinc petii, & Charitum.

17. DICO 2. Aliqui cùm Mureto agnoscunt, præcipuè in Tibullo, Elegiæ stylum tenerum, mollemquè reddi si eadem Syllabâ, qua prior vox finem habet, subsequens vox incipiat. Id tamen non videtur factum ex industriâ, nec in illis vocibus, in quibus hæc Continuatio Syllabarum turpe quid, inamœnum, aut ridiculum sonet. En exemplum ex eodem, quod imitari possitis, sed non sine Sale:

Me mea paupertas, vita traducat inerti:
Ipse feram teneras maturo tempore vites.

Et:

Rusticus, & facili grandia poma manu.

18. DICO 3. Non nisi perrarò apud Illustres Auctores invenies in fine pentametri Participium præsens, ut, Ore nitens, Corde tumens, &c. nisi fortasse, quod vim habeat Nominis Substantivi, ut Amans, &c. Undè vitandum id pręcipit Grammaticorum severitas.

19. DICO 4. Is, ea, id, non multùm venustè, nec perpolitè claudit pentametrum: V.G. Fugit eam, Vidit eos, Scripsit ei, &c.

20. DICO 5. Cavendum, nè Eruditionum congeries Elegiam reddat obscuram: quamvis enim allusio ad Historias, aut Fabulas, quò brevior, eò magìs venusta existimetur; moderata tamen simul, & clara sit.

21. DICO 6. Admittit quandoquè Elegia

 hexa-

hexametrum spondaicum, ubi rei exprimendæ Majestas, vel Dolor exposcit. Sed rarò: & tunc quartus pes esto dactylus; quod tamen Tibullus, aliìque nonnumquàm negligunt.

22. DICO 7. Si cæsura pentametri sit Monosyllaba, videtur officere Carminis suavitati; secùs verò, si etiam Syllaba cæsuram præcedens fuerit Monosyllaba; V. G. Ovid.

Magna tamen spes est in bonitate mori.

23. DICO 8. Nec Monosyllaba vox injucunda in pentametri fine, dummodò coalescat cùm Syllabâ præcedente, vel præcesserit vox etiam Monosyllaba. En exemplum ex Ovid.

Et solum constans in levitate sua est.

Ex eodem:

Præmia si studio consequar ipse, sat est.

24 DICO 9. Volunt aliqui, ut si in priore pentametri parte dactylus, & spondeus collocandi sint, præcedat dactylus, majoris jucunditatis ergò V. G. Tibul.

Et teneant culti jugera multa soli.

Sed hac Regula utendum, ubi nihil obstat.

25. DICO 10. Damnant aliqui pentametri finem in Elegiâ, si vocem habeat Dissyllaba longiorem: sicut etiam damnat nonnemo Poëtam, si sensus integer duobus, vel ad summum quatuor Carminibus non claudatur: sed utrumquè immeritò; cùm obstent innumera Illustrium Poëtarum exempla. Immò, ut notat Tarquinius Gallutius ex Scaligero, quadrisyllaba vox in fine pentametri mollior videtur, & nimìs accomodata Argumentis præsertim flebilibus: Catull.

Sed

Sed cari fratris flebile dissidium.

Non negaverim tamen venustiorem fore Elegiæ Versum, si persæpè pentameter voce dissyllabâ, Nomine præsertim Substantivo, aut Verbo terminetur.

26. DICO II. In his, aliisquè similibus Regulis, non multùm religiosus, ac delicatus sit oportet Poëta: consulat potiùs aures, & bonos Auctores, Ovidium inprimìs, Tibullum, Catullum, Propertium, aliosquè doctos Recentiores.

EXERCITATIO III.

DE POESI BUCOLICA

SEU

ECLOGA.

Ubi incidenter de Dialogis Pastoralibus Italorum.

I.

BUCOLICUM Carmen singulare à nobis Siculis exigit Studium, utpotè in Siciliâ natum. Et non exiguam animi relaxationem afferet, utpotè nimiùm suave, & amœnum.

INSTRUCTIO I.

Eclogæ Definitio, Nomen, Divisio.

2. DICO 1. Poësis Bucolica definitur: Imitatio actîonum rusticarum Carmine expressa. Et quamvìs à solis Bubulcis nomen acceperit, aptari tamen potest, & solet Olitoribus, Aratoribus, atque Agricolis omnibus; Piscatoribus præterea, Venatoribus, & similibus personis, quarum curas, infortunia, amores, conquestiones, labores, altercationes, cantilenas, lau-

laudationes, gaudia, jocos, incantationes, veneficia, Nuptias, choreas, & cæteras omnes actiones, complectitur.

3. DICO 2. Cùm Ecloga Pastorum mores effingit, Pastoritia dicitur; cùm Piscatorum, Piscatoria; cùm Venatorum, Venatoria.

4. DICO 3. Nonnunquàm in Eclogis de re sublimi agi poterit, rustico tamen modò captùque, ut de Signis cœlestibus, Cometis, Terræmotibus. Ità Virgilius Silenum inducit de rerum Cœlestium, ac Terrestrium naturâ disserentem.

5. DICO 4. In Cantu Bucolico Syringa, seu fistulam, quæ ex arundine, vel cicutâ construebatur, Veteres adhibebant: quæ quidem primùm fuit simplex, deindè duplex, mox triplex: tandem septuplex evasit, id est septem compacta calamis. Hujus Inventorem Pana fuisse fama est, de cujus Fabulâ Syringa i nsequentis, legite Ovidium 2. Metamor.

6. DICO 5. Dicitur Vocabulo Græco ἐκλογή, quod Latinè sonat, Carmen è multis delectum: cùm enim nonnulla inter Rusticorum Carmina Sapientibus etiam Viris placerent, illa selegerunt, & Eclogas nominarunt. Ob similem Rationem, à Specie nimirùm, ac venustate, similia Carmina Idylia Theocritus nuncupavit.

7. DICO 6. Ecloga duplex esse potest, Monoprosopos scilicet, & Dramatica; Monoprosopos est, quæ unicam tantùm personam continet; Dramatica, quæ plures personas habet, vel duas scilicet, vel plures. Virgilius tamen trium personarum numerum non excedit. Quod si Personæ illæ fingantur inter se Versibus alternis ob læti-

tiæ, vel doloris impetum contendentes, Carmen illud dicetur Amœbæum.

INSTRUCTIO II.

Ecloga Artificium.

8. DICO 1. Solet nomen aliquod, seu Titulus toti Eclogæ imponi: jam desumi poterit, vel ex præcipuâ Eclogæ personâ, ut in primâ Virgilij, cui nomen Tytirus: vel ex materiâ, de quâ agitur, ut in quartâ ejusdem, quæ inscribitur Pollio, & in octavâ, quæ, ob Incantationes, & Veneficia, quæ continet, dicitur Pharmaceutria.

9. DICO 2. Solet in Eclogâ indi interlocutoribus nomen proportionatum, illisque simile, quibus boni Auctores usi sunt, nisi velis iisdem, quæ illi adhibuerint; uti. Illud tamen observavi in Eclogarum Scriptoribus, ut ferè semper unus alteri loqui incipiens, primis verbis nomen illius interserat. V. G. Virgilius.

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

Et:

Quo te, Mæri, pedes? &c.

Et:

Cur non, Mopse, boni, &c.

10. DICO 3. Duæ sunt partes necessariæ in Eclogâ, Exordium videlicet, & Narratio. Tertia enim, quæ est Clausula, nonnunquam omittitur. De singulis breviter.

EX-

EXORDIUM.

11. DICO 4. Exordium variis modis construi poterit, juxtà Eclogarum aliud, enim exigitur, si priùs incipiat Poëta, aliud, si per Pastorum Colloquia exordiatur.

12. DICO 5. Deduci poterit Exordium primò à Musæ, Nymphæ, Numinis, vel Superi alicujus Invocatione: ut Virgilius.

Sicelides Musæ, paulo majora canamus.

Et idem:

Postremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.

Secundò à merà Propositione rei, de qua agendum erit: V. G. Virgilius:

Damonis Musam dicemus, & Alphesibæi.

Tertiò à Circumstantiis, seu Adjunctis loci, temporis, &c. describendo nimirùm locum, vel tempus, quo illa contigisse finguntur: Virg.

Fortè sub arguta consederat Ilice Daphnis.

Quarto ex abrupto per Pastorum Colloquia, vel per Invitationem, vel Interrogationem unius ad alium. Virgilius.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere Versus,
Hic corulis mixtas inter consedimus ulmos?

Vel:

Quo te, Mœri pedes? an quo via ducit in urbem?

Vel:

Dic mihi, Damœta, cujum pecus, an Melibœi?

Quintò, ità ut Poëta, se ipsum ad canendum cohortetur: V. G. Sannazarius.

Sed jam vulgatos, & nos referamus amores,
Quos pariter, &c.

NARRATIO.

13. DICO 6 Circà Narrationem nil Præcipuè notandum occurrit. Illa sit Eclogæ materiæ apta, & proportionata, ac rustico stylo efformatâ.

CLAUSULA.

14. DICO 7. Clausula, seu Epilogus, quæ est Pars Eclogæ postrema, potest absque ullâ reprehensione prætermitti, claudẽdo Eclogam, solùm intermittendo Narrationem.

15. Jàm quoties vel libitum fuerit, vel expediet Eclogæ Clausulam adnectere, id fieri poterit primò, vel ab ipso Poëtâ, vel ab aliquâ Eclogæ personâ alteri silentium suadente; & quidem ab adjunctis loci, temporis, vel alterius rei, quæ jàm facienda instet, urgeàtque: quod fiet vel adhibendo Narrationem, vel Apostrophem, ad res etiam inanimes, ut ad Capellas, cicutam, &c. V. G. Virgilius:

Ille canit: pulsæ referunt ad Sydera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre.
Jussit, & invito processit Vesper Olympo.

Item Narratione usus est Nemesianus ità Eclogam claudens.

Hæc

Hæc Pan mænalia pueros in valle docebat,
Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberius suadens siccare fluorem
Lactis, & in niveas astrictum cogere glebas.

Virgilius sic per Pastorem alteri loquentem Eclogam clausit.

Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte
Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.
Et jam summa procul villarum culmina fumant:
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Et idem Eclogam 9.

Desine plura, puer, & quod nunc instat, agamus.
Carmina tùm meliùs, cùm venerit ipse, canemus.

Idem Eclogam ultimam ità per Apostrophem ad capras absolvit.

Ite domum Saturæ, venit Hesperus, ite, capellæ.

Secundò claudi poterit Ecloga Versu intercalari, de quo infrà dicemus: V. G. Virgilius Ecl. 8.

Parcite, ab Urbe venit, jàm parcite, Carmina, Daphnis.

Et Sannaz. in fragm.

Ede tuos tandem mecùm, cava buccina, cantus.

Tertiò, si Ecloga Carmen contineat amœbæum, quo scilicet rustici secum de Carmine contendant, poterit finis esse plaudendo Victori: V. G. Virgilius Eclog. 7.

Hæc memini, victum frustrà contendere Thyrsim:

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

Vel per præmiorum distributionem, plaudendo utriquè, indecisâ lite. Idem Virg. Ecl.

Non nostrum inter vos tantas componere lites:
Et Vitula tu dignus, & hic, & quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt.

INSTRUCTIO III.

Eclogæ Stylus, Virtutes, & Vitia.

15. DICO 1. Eclogæ Stylus lenis sit oportet, fluens, & purus, non multum elaboratus; sinè phaleris, splendore, ornamentis, ac Sententiarum argutiis, vel gravitate. Admittit tamen Metaphoras, Similitudines, Argumenta, quæ vocant, ab impossibili, Allegorias; immò quandoquè perpetuam Allegoriam continet sub Pastorum nomine, & actionibus, Principum personas, Genethliaca, Nuptias, & similia occludens.

16. 16. DICO 2. Ornari solet Ecloga Carmine intercalari. Jam intercalare Carmen est, quod sæpiùs in eâ repetitur, & quidem, vel omninò idem, vel paululum immutatum, saltem in fine V. G. Virg Ecl. 8. sæpius repetit Carmen illud:

Incipe mænalios mecum, mea tibia Versus,

quod in fine sic invertit:

Desine mænalios, jàm desine, tibia Versus

Idem Ecl. 8.

Ducite ab Urbe domum, mea Carmina, ducite Daphnim,

quod in fine sic vertit:

Par-

Parcite, ab Urbe venit, jàm parcite, Carmina, Daphnis.

Sannaz. Ecl. 5. Ità intercalari Versu, sed variè mutato usus est.

Volvite præcipitem jàm nunc, mea licia, rhombum.

Volvite præcipitem, mea licia, voluite rhombum.

Sistite præcipitem jàm nunc, mea licia, rhombum.

Sistite præcipitem, mea licia, sistite rhombum.

17. DICO 3. Venustum fiet Eclogæ Carmen, si primum, & quintum pedem dactylum habeat, unicâ præsertim dictione absolutum: ut Vig.

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

Alii Versum laudant, cujus primus, & quintus pes integrà voce terminetur præsertim dactylicâ E. G. Idem:

Tityre, pascentes à flumine rejice capellas.

18. DICO 4. Ubi Carmen sit amœbæum, venustum erit, si canens canenti respondeat paribus Versibus, numerisquè, quandoquè etiam similibus vocibus, ac Sententiis, vel contrariis.

19. DICO 5. Quamvis quovis alio metro explicari possint, ac fingi rusticorum mores, & Cantus, utimur tamen præcipuè in Eclogis Carmine hexametro, quod Narrationibus, rusticisquè Cantilenis valdè aptum videtur. Verum.

20. DICO 6. Illud non sit longiore ambitu circumductum, nec heroica Majestate turgidum.

21. DICO 7. Vitium erit, si Eclogæ voces, mores, Sententiæ similitudines canentium Pastorum Captum exuperent. §22. Hæc

22. Hæc ex Auctorum Lectione perdiscetis. Legite Theocritum, Virgilium, Calphurnium, Sannazarium, Bargæum, Io. Pontanum, Aur. Nemesianum, præter Recentiores.

23. DICO 8. Eclogarum, quæ Italico Sermone conficiuntur, idem esto artificium, ut patere poterit legenti Sannazarium in suâ Arcadiâ.

24. In illis autem, quas Siculi appellare solemus Pastorales (quæ hîc Messanæ plurimum placere consueverunt) major est Poëtarum libertas: cùm enim illæ præcipuè fiant, ut Musicæ inserviant, solent quocunque metro efformari, quod Cantui magis accomodatum videbitur: in quibus Angeli etiam, Pastores, nonnunquam plusquàm terni; & in illis, quæ ad Pueri IESU cunas canuntur, Sanctissima ejus Mater divino Infanti somnum inducens, solent interseri. Verùm hæ rigorosæ Eclogæ non sunt, sed Dialogi Pastorales.

EXER-

EXERCITATIO IV.

DE SATYRICA POESI.

FACILE est Satyram construere: immò, ut cecinit Juvenalis:

Difficile est Satyram non scribere: nam quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se!

Et utinam difficilius esset! Alios enim reprehendere, ac maledictis proscindere.

Et pueri noscunt, postque alpha, & beta puellæ.

Sed ità Satyram efformare, ut sola vitia lacessantur, hoc opus, hic labor est.

INSTRUCTIO I.

Satyræ Definitio, Materia, Munus:

1 DICO 1. Satyra, cujus Originem Casaubonus d. m. Græcis, Quintilianus Latinis ascribit; undè aliqui Satyram Romanam appellant; ejusque primum Scriptorem Lucilium fuisse autumat Livius, dicens illum primò Nasi stylum

ſum acuiſse, definitur: Poëma urbanum, jocoſum, ſalsum ad repræhendendos mores corruptos compactum. Undè

2. DICO 2. Colligitur *Satyræ* Materiam eſſe actiones humanas cum joco, & riſu imitandas: exagitat enim Satyra inertes paraſitos, loquaces, ingratos, libidinoſos, potatores, avaros, fæneratores, ſicarios, fures, adulteros, & ſimiles: Satyrici Munus, delectando per alienorum defectuum irriſionem, acrimoniâ, & Carminum Sale morbos animi perfricare: Finem homines à vitiis deterrere, atquè ad bonam frugem impellere.

3. Hinc de Satyricis ſcripſit Politianus (Repræhendunt acriter, inſultant impotenter, vafrè cavillantur, aſtutè obrepunt, effluunt lubricè, tergiverſantur, illudunt, diſſimulant, ardent, verſant, ſuſpendunt, feriunt, pungunt, provocant, titillant, ſtomachantur, attonant ceù fulmine omnia, & concutiunt.)

INSTRUCTIO II.

Satyrę Nomen, & Diviſio.

4 DICO 1. Satyra dicitur vel à Satyris, quos Deos ſilveſtres, dicaces, petulcos, Silvanis, Fauniſque ſimiles, humano capite, ſed cornibus hiſpidos, pedibus caprinis, totoquè corpore villoſo effingebant Veteres Poëtæ: quoſquè in Comœdiarum Choris ad ſpectantium malos mores carpendos inducebant.

Vel à voce, Satur, ut volunt nonnulli; quià qui in Scenas prodibant ad mores hominum Car-

Carminibus lacessendos, lances omni pomorum genere plenas, & saturas gestabant:

Vel, quià [qui nonnullorum est sensus] Satyra Sententiis, atquè Eruditionibus plena, saturaquè esse debet:

Vel, quia homines cibo, vinoquè saturi sunt ad alios verbis carpendos nimis idonei:

Vel tandem, quia Satyræ structura, varia continens, Saturæ similis est: Saturam enim appellabant Romani farciminis genus, quod passa, polenta, nucleis pineis mulso conspersis farciebatur, & quasi saturabatur.

5. DICO 2. Triplex est Satyra, ut vult Scaliger; Sīplex videlicet, Dialogica, & Mixta. Simplex est, quæ unicâ Narratione ab ipso Poëtâ absolvitur: Dialogica, quæ mutis personarum sermonibus texitur; Mixta, quæ utrumquè præstat; modò enim in eâ solus Poëta loquitur, modò personam secum loquentem inducit.

INSTRUCTIO III.

Satyræ Artificium.

6 DICO 1. Satyra certum Artificium non habet, nequè enim certas quasdam partes admittit: undè ait P. Donatus: Satyræ lex est, scribendi sine lege.

7. DICO 2. Quandoquè utitur Insinuatione: quandoquè incipit ex abrupto. Semper tamen loco Exordii aliquid ponitur, ut notat P. Pontanus, quod ad ea, quæ sequuntur, facilem comparet, benevolumquè Auditorem.

8. DICO 3. Invocationem omninò respuit. Pro-

Propositionem vel nullam habet, vel aliquâ Figurâ involutam.

9 DICO 4. Firma, solidaquè exigit Argumenta, Exempla, Narrationes rerum similium, quibus vitii turpitudinem repræhendat, ac rideat. Si quæ sint rationes, quæ contrarium suadere videntur, penitus dissolvat; si id nequeat, saltem extenuet.

10. DICO 5. Descriptio, si quæ sit brevis esto, nec admodùm seria, & concinna. Digressiuncula in eâ locum habere potest, sed talis, ut indè in vitium, quod repræhendimus, sævire, vel jocari possimus.

11 DICO 6. Satyra, quæ mutuos sermones continet; potest multipliciter fieri.

Primò, ità ut personæ in eâ contentæ sint indefinitæ: V. G. Homines seculi præsentis.

Secundò, ità ut Poëta de persona, vel cùm persona definita quidem, sed innominatâ, loquatur; ut cùm Divite, Avaro, Superbo, &c.

Tertiò, ità ut personæ nominatæ exprimantur. Iàm circà hæc nomina.

12. DICO 3. Illa ficta sint, ne aliquem lædant; sed talia, quæ vitam, moresque personæ repræhendendæ exprimant. Aliqui nominibus illorum utuntur, qui simili scelere fuerunt insignes: sic edacem Vitellium dicunt; prodigum, Hermogenem; perfidum, Paridem; crudelem, Neronem; subdolum, Sinonem, &c.

IN-

INSTRUCTIO IV.

Satyræ Stylus, Virtutes, & Vitia.

13 DICO 1. Satyrę ſtylus humilis ſit, venuſtus, quotidianæ locutioni ſimilis; ſed elegans, & Linguæ puritate ſingulari exornatus.

14. DICO 2. Aſſurgat quandoquè, prò rei, quam explicas, gravitate, & majeſtate: à qua tamen iterùm ad lepores, & populares facetias redeat Hinc, jure quidem optimo, Antonius Abbati, qui hetruſcis Satyris Seculum noſtrum illuſtravit, Satyræ ſtylum, ob varietatem in cadendo, ſeſequè erigendo, pilæ luſui ſimilem dixit.

15. DICO 3. Varietatem præftereà Materiæ, atquè Argumentorum, crebras, acutas, laconicas, graves de moribus Sententias contineat, jocos, facetias, ſcommata, æquivoca, Proverbia, Adagia, Apophthegmata, Alluſiones, Tropos, Figuras magis familiares, atquè in vulgi ſermone uſitatas; immò Tropos, & Metaphoras quaſdam habeat, veluti proprias, ridiculas nimirùm, & quandoquè paulò liberiores.

16. DICO 4. Quamvis Veteres, pręſertim Græci, Jambico ſenario (quippe in Comœdiarum Choris) utebantur in Satyris, Hexameter tamen Verſus hac tempeſtate Satyræ proprius videtur eſse: non quidem nimìs ſonorus, & celebratus, ſed ex induſtriâ conciſus, incultuſque. Non tamen ſolutæ Orationi omninò ſit ſimilis, adeò ut nullum prorſus, aut ferè nullum Carminis ſonum retineat; in quo non nemo mordet Horatium.

17. DI-

17. DICO 5. Satyra non sit nimium seria, & tetrica, sed passim lepida, & jucunda, etiam in ipsâ corrigendi severitate: undè Salibus illinenda est, & veluti quibusdam suavitatum illecebris, ut objurgatio æquo animo excipiatur; eo prorsus modo, quo ægrotantibus pueris poculi oræ, quo amara Pharmaci potio continetur, dulci liquore condiuntur. Hinc Satyra quædam contrà nostri Seculi fastum immoderatum, quæ manu scripta omnium ferè manu versatur, primum quidem inter Recentiores haberet locum, si, ut Sententiis, omniquè aliâ laudè elucet, ità lepòre, & salibus esset paulò festivior.

18. DICO 6. Cavendum, ne Sales, & joci vel ipsam turpitudinis suspicionem præseferant, nève Adagia, Proverbia, Allusiones, & similia obscuritatem effundant.

19. Legite Horatium, Persium, Juvenalem, quem Scaliger Satyricorum facilè principem dicit. Sed Juvenalis nimiam turpitudinem, Persii obscuritatem, Horatii perturbatam interlocutionem personarum fugite, ut advertit Antonius Abbati ex Casaubono.

20. Quærunt hîc aliqui, an Satyra verum Poëma dicendum sit?

21. Respondeo breviter, juxta ea, quæ suprà diximus, ubi de Poësi in communi, Satyram absolutè verum poëma esse posse, si aliquam imitationem, & fictionem unà cùm Versiu contineat; illam Poëma absolutè, & rigorosè non esse, si præter metrum nil fingat atquè imitetur.

EX-

EXERCITATIO V.

DE LYRICA POESI.

1.

OMNIUM suavissimum est Lyricum Carmen, adeò ut de solis Lyricis saxa, silvasque ipsas Cantûs dulcedine commovisse traditum sit. Si quis vestrûm hanc Tractationem solùm scripsisse, nihil ejus studio desudasse contentus esset, ad Lyram profectò oscitans, nesciò cui parùm sibi grato Proverbio locum daret.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Poësis Lyrica, & quæ ejus Materia.

2. DICO 1. Lyrica definiri potest: Poësis, quæ Versu rhythmico, & harmonico rem aliquam amplificat: & cantu, sonoquè affectus varios imitatur.

3. DI-

3 DICO 2. Præcipuam Lyricæ materiam vult Horatiüs esse Deorum, atquè Heroum laudes, Olympionicas, amores, convivia, pugilum, equorumquè victorias, resque omnes, quæ ista comitari selent; ubi ait:

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum.
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Ipse tamen Horatius in suis Odis extrà hanc materiam non semel vagatus est.

4. DICO 3. Alcman Messanensis Lyricorum omnium facilè Princeps, Sappho, Anacreon convivia, confutationes, resquè omnes hilaritate oblitas lyrâ complexi sunt.

5. DICO 4. Continet etiam sub se Lyrica Poësis bella, jurgia, insectationes, vota, preces, hortationes ad voluptates honestas, Virtutum, ac Scientiarum laudes, rerumquè aliarum, ut Fontium, Vinorum, Arborum, Villarum, Urbium: prætereà Vitiorum vituperia, ac ignorantiæ, rerumque aliarum detestationes, atquè dedecora: insuper Exhortationes ad pericula prò DEO, prò Fide, prò Virtute, prò Rege, prò Republicâ, alioquè honesto fine capessenda: tandem publicas calamitates, desideria, conquestiones, locorum, temporumquè descriptiones, deliberationes, invitationes.

6. Brevi quidquid in parvum, harmonicumquè Poëma cadere potest, ut docet Scaliger, Lyrica Poësis amplectitur.

IN-

INSTRUCTIO II.

Quale ejus Nomen.

7. DICO 1. Dicitur Lyrica à Lyrâ, ad quam hæc Carmina canebantur.

8. DICO 2. Appellatur etiam, à Melos, Melice, seu Melicum Carmen, propter Melicam videlicèt Suavitatem, ac Melodiam.

9. DICO 3. Horatius Odas, inscripsit; Græcè enim ᾠδαὶ à canendo, undè Odarion, id est parva Oda.

10. DICO 4. Grammatici, Pindaricos Versus dicunt à Pindaro, qui elegantissimas æquè, ac sublimes Odas conscripsit, quibus, ille tamen ab εἶδος, quæ vox Latinè formam, seu speciem sonat, nomen imposuit: & hinc deducitur diminutivum Idyllion, quo etiam nomine Theocritus Eclogas suas appellavit, ut diximus ubi de Carmine Bucolico.

INSTRUCTIO III.

Lyrici Carminis Artificium.

11. DICO 1. Lyrici Carminis Artificium est per tres Partes, Propositionem videlicet, Amplificationem, Episodium, seu Digressionem.

Propositio.

12. DICO 2. Propositionem appello modum ipsum exordiendi: neque enim in Odis Propositio fit Epicorum more, sed aliquando apertè, nonnunquam simpliciter; nonnunquam prætermittitur, dummodò ostendatur, quò tendere velit

lit Poëta; magna enim in hoc est Lyricorum libertas: námque Odem quandóque aggrediuntur per Invocationem Lyræ, Musæ, Apollinis, quandóque per Apostrophen ad Personam, vel ad rem, de qua loquuntur: Exclamationem, vel aliam Figuram, aut Modum, qui Ingenio, furoríque Poëtico magis arriserit.

Amplificatio.

13. DICO 3. Amplificatio ex illis Fontibus petatur, quos diximus in Arte Rhetoricâ: Sed ingeniosa sit, florens, sublimis.

14. Horatius sępiùs utitur Amplificatione à Circumstantiis, & partium enumeratione à Comparatione rerum diversarum, à similibus Exemplis, ab effectis, & consequentibus, tùm positivis, tùm negativis.

Digressio.

15. DICO 4. Quid sit Digressio diximus in Tractatu de Elegiâ. Illud hic noto, nôn ità necessariam esse in Lyricâ Poësi Digressionem, ut illam prætermittere piaculum sit. Cæterùm post Digressionem redire, vel non redire ad propositũ Vatis arbitrio relinquitur. Possunt plures in Amplificationis progressu digressiunculæ interseri, ac sæpiùs interrumpi; si tamen ad rem nostram sint opportunæ.

INSTRUCTIO IV.

Lyrici Carminis Stylus, Virtutes, & Vitia.

16. DICO 1. Lyrici Carminis stylus floridus, politus, candidus, suavis, ac dulcis, vegetus, sonorus, elegans, hilaris, ingeniosus sit,

ſit, atquè amænus. Undè ſæpius, Fontes, Silvæ, Flumina, Flores, Convivia, reſquè omnes, quæ animi voluptatem pariunt, deſcribantur. Affe-ctibus, crebris Sententiis [in Ode præſertim morali] ſivè claris, ſivè occultis, ſimilitudinibus, omnium deniquè Troporum, ac Figurarum phaleris ornari Poëſis Lyriea mirum in modum efflagitat.

17. DICO 2. Brevitas, que ſemper grata eſſe ſolet, in Odis erit gratiſſima: maximè ſi Horatium imitari velimus.

18 DICO 3. Aſperitas omnis evitanda: cum enim Lyricum Carmen ad Lyram cani ſolitum fuerit, aurium illecebris omninò natum videtur. Cavendum tamen, nè nimia vocum ſonantium cura, rerum jejunam relinquat Odem: néve nimia rerum, ac Sententiarum congeries, & laconiſmus, illam aſperam faciat, aut obſcuram.

INSTRUCTIO V

Varia Lyrici Carminis Species.

19. DICO 1. Variæ ſub Lyricâ Poëſi ſpecies continentur: præcipuæ ſunt Scolion, Epinicion, Epipompeuticum, Hymnus, Pæan, Dithyrambus, Hyporchema, Seculare Carmen, & Epodos; quæ omnia ſub nomine Odarum abſolutè comprehendi poſſunt.

20. DICO 2. Hæ Lyrici Carminis Species vel Simplices eſſe poſſunt, vel Dialogicæ: Nam Ode Simplex dici poteſt, quàm unus abſolvit Poëta, vel perſona, cujus forte Vaticinium, vel Ethopæjam effingit. Dialogica eſt, in qua perſonæ

alternis canentes inducuntur, ut diximus de Eclogâ amœbæum Carmen continente: Cujusmodi est Horatii Ode 9. Lib. 3. ubi ipse, & Lydia alternatim sibi respondent canendo.

Scolion.

22. DICO 3. Scolion est Carmen à Convivis inter epulas recitandum: quò magni viri vel ad animi relaxationem invitabantur, vel laudibus cumulabantur. Jam Scolion Græcè dictum est, quasi intortum obliquùmquè, ab illo poculo flexuoso, quod convivis conferebatur, quódque nefas erat sinè cantu excipere, aut propinare. Horatius hujusce generis Odis vinum redolentibus totus plenus est, & hujusmodi est inter alias Ode 37. Lib.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus. Nunc saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Epinicium.

22. DICO 4 Epinicium Carmen erat, quo Victorum laudes canebantur, *νίκη* enim Græcè victoriam sonat. Hoc Carmine uti etiam solent Christiani Poëtæ ad sacrosanctæ fidei Athletas laudibus cumulandos, qui proprio sanguine sibi martyrii palmam irrigarint.

Epipompeuticum.

23. DICO 5. Epipompeuticum idem significat, ac Triumphale Carmen, quod scilicet in Triumphi pompâ canebatur. Hoc ab orthodoxæ Religionis Vatibus cani posset, ubi Divorum lipsanis, vel divino Christi Corpore sub eucharistico ferculo in Supplicationibus sacris Urbes lustrantur. Hy-

Hymnus.

24. DICO 6. Hymnus propriè sonat Carmen in DEUM. Utimur tamen Hymno etiam ad Sanctissimæ Virginis, Divorumquè laudes recitandas.

Pæan.

25. DICO. 7. Pæan, id est Liberator, propriè Versus erat in Apollinis laudem vel ad pestem, aut aliud malum arcendum; vel ad grates prò munere persolvendas: quo quidem Odarum genere, etiam aliorum Divorum laudes deindè cani solitæ.

Dithyrambus.

26. DICO 8. Dithyrambus, ità dictus à Bacco, qui bis natus fingitur, à Matris scilicet utero, & à Jovis femore, Versus est, qui in Bacchi honorem contexebatur. Hoc Carmen, utpotè totum Bacchi furore plenum, stylo erat tumido, audaci, ampullato, verbis sesquipedalibus, sed floridis scatente, & nonnunquam variis Versuum speciebus, sine ordine, ac lege, veluti per Enthusiasmum, commixto, hexametris præsertim, trochaicis, anapæsticis, sapphicis, glyconicis, asclepiadeis, &c. Utuntur hoc Carmine nostri Poëtæ in Divorum, ac Principum laudibus cotexendis.

Hyporchema.

27. DICO 9. Hyporchema, quod à saltantibus nomen accepit, Carmen erat à saltantibus inter Choreas cani solitum. Remissiorem profectò stylum exoptat. Cætera Dithyrambo simillimum.

Carmen Seculare.

28. DICO 10. Seculare Carmen à Seculo no-

men accepit; Carmen enim erat, quod in cuiuslibet Seculi fine puellæ virgines, puerique prætextati in gratiarum actionem Diis canebant; quo quidem tempore per triduum integrum solemnes Ludi instituebantur, Bobus atris Plutoni mactatis Jam Seculum centum Annis absolvitur quamvis nonnemo Annis decem suprà centum perfici contendat.

29. Hoc Carmine utuntur Christiani Poëtæ, ut cùm gratiarum actione verum Numen adorent, ac venerentur prò Seculo feliciter absoluto, utquè deinceps precantibus opem ferat, & similes etiam Odas contexunt in Jubilæis.

INSTRUCTIO VI.

Quid sit Epodos.

31. DICO 1. Quamvis Lambinus ex Diomede, Mario Victorino, aliisque Veteribus Grammaticis, Epodum dicat Odem, quæ alternis Versibus fiat, quorum præcedens longior, subsequens verò brevior, ad finem; ut Horat.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium, &c.

32. Hæc tamen explicatio nonnullis displicet cùm Scaligero: Horatius enim, inquiunt, quandôque in Epistolis unico utitur metro, ut 17.

Jam jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, & oro regna per Proserpinæ,
Per, & Dianæ non movenda numina, &c.

Et in sequenti:

Quid obseratis auribus fundis preces;
Non saxa nudis surdiora navitis

Ne-

Neptunus alto tundit hybernus, solo, &c.

32. Præterea plures habentur Odæ in Horatio, quarum primus Versus longior secundo, nec tamen in Epodon Libro recensuit; huiusmodi sunt lib. 1. ode 4. & 28. lib. 4. ode 7., &c.

33. DICO igitur 2. Procedendum cùm distinctione: si enim de Epodis Horatianis loquamur, Epodos dici censeo, quod Odæ sint posteriores. Nec defuit Codex, (ut refert Lambinus (in Præfatione Commentarii in Epodon Librum Horatii) in quo ille quintus Odarum Liber inscriptus est. Si verò quid fuerit Epodos apud Veteres, præsertim Græcos, velimus investigare.

34. DICO 3. Veteres Carmina Lyrica apud Deorum aras canebant. Jam quæ à lævorsum, id est, ab Oriente ad Occidentem, motu primi mobilis, progredientibus dicebantur (& erat quidam certus Versuum numerus, sivè ejusdem, sivè diversi ordinis) à verbo Græco στρέφω Strophen appellabant: quæ ab Occasu ad Ortum, reliquarum Sphærarum Cælestium motu, revertentibus deindè, canebantur, Antistrophen dicebant: in qua quidem Antistrophe totidem erant Versus, quot in Strophe; ità ut primus primo, secundus secundo, tertius tertiò, & sic deinceps, metro, & ferè Syllabarum numero, respondêrent. His igitur positis.

35. DICO 4. Epodos erat Versuum numerus, quos post Antistrophem in eodem loco immorantes dicebant, Terræ stabilitatem imitati.

INSTRUCTIO VII.

Aliqua notantur de Odarum metro.

36. DICO 1. Ode, quæ unicâ metri specie constat, Græcâ voce Monocolos, seu unimembris dicitur; hujusmodi est 1. Horat.

Mæcenas atavis edite Regibus
O & præsidium, & dulce decus meum, &c.

quæ constat solis Asclepiadeis.

Dicolos, seu bimembris, quæ duabus metri speciebus conflatur, ut ex eodem.

Sic te diva potens Cypri.
Sic fratres Helenæ lucida sidera, &c.

quæ constat glyconico, & asclepiadeo.

Tricolos, seu trimembris, quæ tribus Versuum speciebus consurgit, ut ex eodem.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jàm sustineant onus
Silvæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto, &c.

quæ duos primos habet alcaicos dactylicos, tertium jambicum archilochicum, quartum pindaricum, seu alcaicum dactylotrochaicum.

Tetracolos, seu quadrimembris, quæ quatuor Carminum speciebus efformatur: & sic deinceps de aliis.

37. DICO 2. Ode Monostrophos dicitur, quæ diversas non habet Strophas, sed post singula Carmina ad aliud ejusdem metri revertitur, ut suprà.

Mæcenas atavis edite regibus, &c.

Distrophos est, quæ Strophas duobus Carmi-

minibus ità contextas habet, ut post bina diversæ speciei Carmina ad bina alia eodem ordine revertatur: hujusmodi est:

Sic te diva potens Cypri,

Sic fratres Helenæ lucida sidera, &c.

Tristrophos dicitur cùm quælibet Stropha tribus Versibus constat; cùm scilicet post ternos Versus Strophe resumitur eodem ordine.

Tetrastrophos, cùm post quatuor; pentastrophos, cùm post quinquè, &c.

38. Subnectunt hîc aliqui diversas Carminum species, quibus lyricum Carmen contexi potest: sed prolixa nimìs tractatio fieret: resquè majoris momenti præterire cogeret, si talia velim referre. Lubens igitur prætermitto, cùm id Grammaticorum proprium sit in Arte metricâ. Et vos hæc habuistis fortassè in primæ Grammaticæ Classis, vel humaniorum Literarum palæstrâ. Legite P. Emmanuelem Alvarum, Prosodiam P. Riccioli, Textorem initio sui Epithetarii, & alios Grammaticos, qui ferè omnes satis superquè Versuum omnium formas enumerant. Interim me vobis plura oretenus aperire sit satis: vosque Carminum species imitari, quas in Horatii Lyricâ, quam explanamus, inspicitis.

EXERCITATIO VI.

DE

EPIGRAMMATE.

I.

UT omnium breviſſimum, ità, & difficillimum Poëmatis genus aggredimur: in ipſis enim Illuſtrium Auctorum integris Libris bona Epigrammata perpauca, optimum numeriſquè omnibus abſolutum vix unum, aut alterum, invenire quis poterit. Operis adeò difficilis Tractationem contexere haud ſanè facilè eſt Equidem quid de Epigrammatis artificio ſentiam, breviter, & majore, qua potero, claritate vobis proponam. Utquè diſtinctè procedamus; ſit.

INSTRUCTIO I.

Epigrammatis Nomen, ac Definitio.

2 DICO 1. Epigramma ἀπὸ τοῦ ἐπιγράφειν, & ἐπιγραφαὶ, idem ſonat, ac Superſcriptio, ſeu Inſcriptio. Quidem Inſcriptiones, atquè Epigrammata metro libera, ac breviſsima, utpotè unico quandoquè perfecta verbo, ſole-

bant

bant Veteres Statuis. Clypeis, Trophæis, Sepulcris, Monumentis, Imaginibus Navibus, vel Urbis ædificiis, magnificis demum Operibus, loco Elogiorum, inscribere.

3. DICO 2. Epigramma tamen, de quo hîc agimus, definitur communiter: Breve Poëma vel simplex factum, aut rem indicans, vel aliud ex alio deducens. Undè patet amplissimam esse ejus materiam, & per omnia, nullo prorsus limite, divagari. Hanc Definitionem amplector, quia omni, soliquè Epigrammati commodè convenit, ut facilè poteritis ex infrà dicendis colligere.

INSTRUCTIO II.

Epigrammatis Divisio.

4. DICO 1. Varias adhibent passim Auctores Epigrammatis Divisiones. Sunt, qui illud per tria Causarum genera dividentes, Demonstrativum appellant, quod laudes vel vituperationes continet: Deliberativum, quod suadet vel dissuadet; Judiciale, quod repræhendit, objurgatque.

5. Alii in Sacrum, Morale, Profanum, dividunt. Sacrum vocant, quod res Sacras refert: Morale, quod in moribus instituendis versatur: Profanum, quod res non sacras complectitur.

6. Alii in Epicum, Tragicum, & Comicum. Epico Heroum, rerumquè omnium, præsertim magnificarum, laudes assignant: Tragico res cothurno dignas, utpotè graves, tetricas, & lacry-

crymis, doloreque obliras: Comico sales, lepores, & jocos. Huc reducunt nonnulli Satyricum, quod scilicet irridet, ac mordet.

7. Alii cùm Scaligero Epigramma dividunt in Mel, Fel, Acetum, & Salem. Mel continet, quod tractat mollia, tenera, amores &c. Fel, in quo Objurgationes, Maledicta, & omnia, quæ virus habent: Acetum, quod mordet quidem, sed sine veneno, ac maledictis: Salem, quod risus, leporesquè innocentes habet, sinè ullâ vituperatione, aut mordacitate. Sed, ut videtis, hæ omnes Divisiones eo tendunt, ut minimè certam, ac definitam, sed omninò amplissimam Epigrammatis materiam ostendant. Meliùs igitur.

8. DICO 2. Dividitur Epigramma celebri Divisione in simplex, & Compositum. Simplex est, in quo res, seu factum, simpliciter exponitur. Compositum, in quo ex uno aliud majus aut minus, æquale, vel inæquale, diversum, contrarium, affine, &c. deducitur.

9. Hanc Divisionem Recentiores nonnulli rejiciunt: sed immeritò sanè; tùm quia ab omnibus ferè Illustribus Scriptoribus traditur: tùm quià multa in optimis Auctoribus hujusmodi Epigrammata inveniuntur.

10. DICO 3. Quodlibet Epigrammatum genus iterum dividi potest in Simplex & dialogicum. Simplex unius rei sermone perficitur. Dialogicum plures loquentes effingit. Aliqui Dialogicum Epigramma Dialogismum appellant. Aliqui illos, qui ità vocant, repræhendunt. Equidem illud Dialogismum non dicam: si quis tamen dixerit, damnare non ausim.. 11. DI-

11. DICO 4. Dialogicum hoc Epigramma Græcis magìs, quàm Veteribus Latinis familiare, Recentioribus placet; sed non modicum habet difficultatis: debet enim (ut τὸ πρέπον fervet) rerum, quas loquentes fingit, sivè animatæ illæ sint, sivè inanimes, dignitatem, mores, ingenium imitari. Exempla nimìs trita, ac longiora prætermitto. Accipite minus vulgatum, & magìs breve, quod proponi solet imitandum.

In Exequiis Nymphæ Neæræ.

Quæ voces? Charitum. Quæ circum pompa? Neæræ.
Unde odor hic? Cineri thura ministrat Amor.
Unde pyra? Ex pharetra. Quinam struxere? Lepores.
Ast hæc, illacrimans quæ legit Ossa? Venus.
Fortunate lapis, tumuloquê beatior omni,
Tu tegis, in terris si quid honoris erat.

Aliud.

Siculum Carmen, ab eo tamen, quod vulgò canitur, parum immutatum.

Arii Cerbaru Cani. Olà cu' veni?
Vn' Anima. dannata. Aspetta un pocu?
Chi veni a fari tu' ntra tanti peni?
Vegnu stirrata eternamenti d' d' ocu.
C' hai fattu 'n vita tua? mai fici beni.

Amai lu mundu in ogni tempu, e locu.
Dunca trasi pri sempri: chi cunveni
A li toi brutti xiammi stù gran focu.

A quodam Latinè redditum.

Cerbere mi custos aperi. Quis clamitat! Hospes.
Hæc peto damnatus regna. Age Siste gradus.
Quæ tot in ærumnas egit mens stultior Eheu!
Istis æternum finibus exul ero.
Vitali quà, luce fruens, exercitus arte es?
Semper, ubiquè fibras turpis adussit amor.
Hos igitur subeas, nunquam rediture, penates.
Debitus hic fœdis ignibus ignis adest.

Poterunt nonnunquam induci plusquam duæ personæ loquentes. Vitanda tamen confusio.

INSTRUCTIO III.

Epigrammatis Artificium.

12. DICO 1. De simplici Epigrammate nil dicere oportet: cùm enim simplicem rei Expositionem contineat; si illam venustè, breviter, ac perpolitè referat, operæ pretium fecerit: si præsertim talis res sit, vel factum adeò novum, atquè inexpectatum, ut, nulla insuper adhibitâ Vatis arguitâ, argutiæ, clausulæquè vim habeat, lepidumquè satis ad aures nostras perveniat.

13. DI-

13. DICO 2. Epigramma Compositum, quod hac tempestate omnibus gratissimum est utpotè eximii, lepidiquè ingenii partus, duas habet partes, Protasim scilicet, & Apodosim, seu Epitasim. Protasis est rei expositio. Apodosis est, quod indè deducitur. Logici Protasim, Præmissas dicerent: Apodosim Conclusionem, seu Consequentiam appellarent: quamvis non opus est, ut argutia rigorosæ Conclusionis vim habeat: sufficit enim, ut cùm supradictis aliquâ sit affinitate, aut relatione conjuncta.

14. DICO 3. Nonnunquam prius exponitur id, quod infertur, deindè id undè deducitur, ut notat P. Donatus. Hoc facit contrà Scaligerum, qui non benè Epigramma definit: Poëma breve ex præpositis aliquid deducens. Accipite Distichon ex Martiali:

Semper eris pauper, si pauper es Æmiliane:
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

Ordo enim argumentandi esset hic: Nunc solis divitibus opes dantur. Sed tu non es dives: ergò nunquàm opes recipies, adeoque semper eris pauper.

15. DICO 4. In ipso Epigrammatis primordio, & protasi jacienda sunt occulta quædam argutiæ semina (occultà, nè priùs argutia detegatur) quæ deinde veluti in germen inopinatum erumpant; inopinatum quidem, sed non coactum, & violentum; nequè ab iis, quæ priûs dicta sunt, alienum; sed sponte suâ fluens, ac naturale; nec, ut ajunt, nimìs speculativum, ac metaphysicum, quod nonnisi à summo ingenio præditis possit intelligi.

16. DI-

16. DICO 5. Quandoquè materia tale exigit Epigramma, ut perpetuæ Æquivocationis vi, aliud prima fronte, aliud, si funditus introspiciatur, significet: quod limis, & obliquis oculis, velut Optices pictura, inspectandum inquit P. Raderus in Mart.

17. DICO 6: Rei, vel facti Expositio, suâ via sternitur ad argutiam, multipliciter fieri potest: vel enim exordiri poterimus ex abrupto, vel per simplicem Narrationem, vel per aliquam Figuram, præcipuè per Apostrophem, per Exclamationem, per Interrogationem, adhibita nonnunquam responsione; & quandoquè, aliqua responsione rejecta, recurrendo ad aliam magis venustam, & inopinatam; per subjectionem, per Admirationem, per Ethopœiam, per Ironiam, per Execrationem, per Repetitionem, illam ad finem usquè deducendo: quod etiam fieri poterit per Conversionem, Complexionem, Substentationem, Hypotyposim, vel per Allegoriam, continuando Metaphoram, vel per Figuram, Relationem, &c.

18. Mihi suprà modum arridet exordiri per meram Narrationem; in rebus præsertim, in quibus nulla affectûs vehementia est exprimenda: hoc enim magìs naturale, & minùs affectatum.

19. DICO 7. Id, quod venustè, argutéque deducitur, argutia, acumen, seu E igrammatis Clausula dicitur (Concetto, Sparata, Chiusa Italicè nuncupamus) & hæc quidem est præcipua Epigrammatis compositi pars, quæ illi Coronidem imponit: totum enim illius decus, ac decor, pavonis in morem, in caudâ est.

20. Qua-

20. Quamobrem P. Pontanus, aliique Epigramma Scorpionem appellant, quod in caudâ gerat aculeum. Alii cum P. Radero, pugioni, quo punctim vulneratur hostis, vel piperi simile autumant, quod, ubi tritum fuerit, ardorem relinquit palato: alii ludicris puerorum ignibus, qui in fine, nitrati pulveris vi, diffractâ papyro, bombum emittunt; alii ferreo pessulo, qui tunc perfectè occluditur, cùm, post varios clavis gyros, impetusquè, strepit tandem in fine, ferreâ Linguâ impellente.

21. DICO 8. Si ità construatur Epigramma. ut in eo veluti nodus aliquis implicetur, qui tandem digniore argutiâ, magisque repentinâ dissolvatur; illud perfectissimum erit, meo judicio, utpotè integram grandioris Poëmatis artem restringens.

INSTRUCTIO IV.

Epigrammatis Stylus, Metrum, Virtutes, ac Vitia.

22. DICO 1. Stylus prò Argumenti conditione varietur: in rebus enim seriis tetricus, gravis, sublimis; in amœnitatibus venustus; in ridiculis ludicrus, paulòque remissior, semper tamen liquidus, floridus, vividus, ingeniosus appareat.

23. DICO 2. Quovis metro contexi poterit Epigramma, si Tullio credimus. Magis usitata sunt apud Recentiores cùm Martiale Elegiacum, id est hexametrum, ac pentametrum alternatim; Heroicum, hoc est solum hexametrum; Phaleu-

cium

cium hendecasyllabum, Jambicum, Scazon, &c.

24. DICO 3. Præter Argutiam, quàm me, ritò animam, vitam, spiritum, nervos, succum sanguinem compositi Epigrammatis dicunt, duabus insuper dotibus fulgeat Epigramma, Brevitate scilicet, ac Suavitate.

25. DICO 4. Quoad brevitatem: quo brevius est Epigramma, eò meliùs. Illud unico quandòque Versu absolvi poterit; & tunc Monostichon dicitur: vel duobus, & tunc Distichon nuncupatur: poterit etiam confici quatuor, sex, octo, decem, duodecim, &c. Immò aliqua inveniuntur apud illustres Auctores, & Martialem, quatuor suprà viginti Versibus efformata, & alia majora.

26. Breve igitur Epigramma illud est, & idem Martialis notavit, cui nihil demere possis, quin venustatem, & integritatem deturpes; longum, quod superflua continet: undè contingere poterit, ut Distichon longum sit, & Epigramma plurium Versuum mancum, & decurtatum.

27. DICO 5. Suavitas, ac venustas Epigrammatis comparabitur primò, si rebus naturâ suâ aptis ad sensus, animùmque oblectandum, ut amœnitate Hortorum, Silvarum, Fontium, Musicorum cantuum, & rerum similium conspergatur:

Secundò, si Locutio dulcis sit, ac jucunda: & talis erit, si Apostrophem habeat, etiam ad res inanimatas, & rerum mentis expertium Sermones effingat.

Tertiò, si aliquid non vulgaris Eruditionis contineat:

Quar-

Quartò, si quandòque; more Catulli, quod primum fuit Epigrammatis Carmen, sit ultimum:

Quintò, si sæpius eodem verbo, aut particulâ incipiat, præsertim per Exclamationem:

Sextò, si, ubi opus erit, affectûs vehementiam explicet.

Septimò, si Descriptionem, & Hypotiposim habeat, ut res oculis cerni potius videatur, quàm audiri.

28. Quæ quidem Suavitas adeò placet, ut sæpè argutiæ defectum suppleat. Itaque Petrarchæ breviora Carmina, quæ Itali dicunt Sonetti, quamvìs exitum non multùm argutum habeant, ob styli tamen, modìque explicandi Suavitatem, non modicum plausum obtinuêre.

29. DICO 6. Cavendum censet Pontanus, nè, dum hanc virtutem consectamur inani verborum strepitu turgescat Versus; nevé Clausula, velut acutæ cuspidis acies, dum nimium studemus Phrasibus, hebetetur.

INSTRUCTIO V.

De modo proponendi Argutiam.

30. ALiqui dùm claudendi Epigrammatis Leges tradunt, confundunt modum proponendi Argutiam, & modum illam inveniendi. Mihi, ut distinctè procedamus, visum est hoc in duas Instructiones dividere. in hac de modo proponendi, in sequenti de modo inveniendi Argutiam sermo erit.

31. DICO 1. Modus proponendi Argutiam va-

varius est, ut exigit via, quam illi stravimus in Epigrammatis progressu. Jam quæcunque illa sit, esse poterit modus exprimendi vel simplex, per meram videlicet Narrationem; vel Figuratus, adhibitâ nimirùm aliquâ Figurâ.

32. DICO 2. Omnes quidem Figuræ, vel ferè omnes, cùm verborum, tùm Sententiarum, aptæ sunt ad Epigrammatis Clausulam concinnè proponendam: sed magìs idoneæ, quæ videntur magìs venustæ, ac plausibiles, atque ad res repentes, & inexpectatas magis accommodatæ. Tales mihi videntur Repetitionis, vel Conduplicationis species nonnullæ, Regressio, Gradatio, quæ Græcè Climax, Dubitatio, Hyperbole, Apostrophe, Præteritio, Aposiopesis, Execratio, Exclamatio, Detestatio, Optatio, Epiphonema, Chiasmus, Adhortatio, Asseveratio, Ominatio &c. quas suo loco diximus in Arte Rhetoricâ, ubi de Elocutione, quarum memoriam nunc excitare oportet.

33. DICO 3. Verborum formulas, venustas, atquè elegantes prò claudendo Epigrammate, assiduâ Scriptorum Lectione eruetis. Si vultis, en per-paucas ex illustribus Auctoribus, Martiale præsertim Epigrammatum Magistro, depromptas.

34. Auguror &c.
Ominor &c.
Vaticinor &c.
Fas est &c.
Convenit &c.
Decet &c.
Expedit &c.

De-

Decebat &c.
Debuerat &c.
Quid mirum;
Nil mirum &c.
Miraris? &c.
Non miror &c.
Desine mirari &c.
Miror &c.
Mirandum sanè &c.
Exclamare libet &c.
Si nescis &c.
Forsan &c.
An? numquid? num? &c.
Non est, crede mihi &c.
Tu tibi ne placeas &c.
Nec se miretur &c.
Prisca fides taceat &c.
Quæ fuerat Fabula &c. pœna fuit
Quos decet esse &c. qui &c.
Quis neget esse? &c.
Res nova &c.
Num potuit meliùs &c.
O dulce &c.
I nunc, & corripe, vel dic. &c.
Si quis ades &c, ne te decipiat &c.
Non credis; spectes; dices: hic modo &c.
Qui tantas [artes invenit] aut à te didicit, aut docuit
Non hoc, vel hoc laudetur &c. plus est bis denas pariter perdomuisse feras.
Nimirùm timuit.
Nunc, & damna juvant.
Sed tamen esse tuus dicitur: ergò potest.

Si

Si quis erit &c. si quis erit &c. si quis erit &c.
dispeream si non hic Decianus erit.
Erravit &c.
Erratum est &c.
O factum benè!
O factum malè!
Si non errasset, fecerat, ille minus.
Dum numerat palmas, credidit esse senem.
Sic tu &c. sic illa &c.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.
I fuge: sed poteras tutior esse domi.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.
Non est hæc tussis; &c. gula est.
Aut vive, aut &c.
Si benè te novi, jàm &c.
Vites, censeo, porticum Philippi: si te viderit
Hercules peristi.
Posthume, non benè olet, qui benè semper olet.
Hei mihi, quam &c.
Si, &c. parcite; nam &c.
Vis fieri sanus; Sume &c.
Si, cupit hunc aliquis &c. moneo, ne &c.
Tanti non es, ais, Sapis &c.

INSTRUCTIO VI.

De inveniendis Argutiis.

35. DICO: Ex eodem prorsus Armamentario, undè Argumentorum arma sumunt Rhetorici, sumunt cuspidem Vates prò Epigrammatum clausulis. Loci enim Rhetorici, seu communes, tùm insiti, tùm remoti ad argutias inve-

veniendas sunt opportuni. Cùm igitur vis argutiam eruere, percurre Topicorum sedes, Definitionem nimirùm, Partes Causas &c. & invenies tandem, quod ad rem, factumquè, quod præ manibus habes, argutè explicandum; sit aptum.

De singulis breviter Excursionem instituam.

EXCURSIO I.

Definitio.

36. DICO: Per rei Definitionem, vel Descriptionem, id est, indagando naturam rei, quidvè illa sit, vel non sit, poterit argutè claudi Epigramma. En

EXEMPLA.

De Amore,

ex Babuss.

HUmor, an ignis Amor? Vitreos si consulis orbes.
Umor Amor. Pectus consulis? Ignis Amor.
Ut cor mergit aquis, sic urit pectora flammis.
Icaron indè biceps. hinc Phaëtonta facit.

De Tempore.

SUm genitor veri, domitor livoris aperti,
Index astrorum, filius, atquè comes.
Me sequor, & fugio mea per vestigia Nunquam
Cùm sim, quotidie nascor, & intereo.

In

In Attalum.

Ex Martiali.

DEclamas belle: causas agis, Attale, bellè:
Historias bellas, Carmina bella facis.
Componis bellè mimos, Epigrammata bellè,
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus:
Et bellè cantas, & saltas, Attale, bellè,
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid sis? Magnus es ardelio.

De Echone ad Pictorem,

Ex Ausonio.

VAne, quid affectas faciem mihi ponere, Pictor,
Ignotamque oculis sollicitare Deam?
Aëris & Linguæ sum filia, mater inanis
Indicii vocem quæ sinè mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et, si vis similem pingere, pinge sonum.

Mes-

Mesſanæ Urbis Deſcriptio,

Ex Illuſtr. Rao.

S'Erge in Teatro, e l'è corona un Monte,
Cui l'alba imperla e 'l primo Sole indora,
Città, che 'l mare, e 'l Ciel mentre innamora
Il piè le bacia il mare, il Ciel la fronte.
Quivi rompe il Tirren, l' Jonio a fronte,
Sol per lei vagheggiar l' onda ſonora
Quivi par, ch' a vederla, Italia ancora
Affretti i colli, e ſovra il mar ſormonte.
Per lei s' arma Orion di ſtelle d' oro;
E a cuſtodirla entro ſaſſoſo Jaccio,
Cariddi, e Scilla incatenò Peloro.
Perchè in trofeo del lor più alto impaccio,
Qui s' avvider, che ſtanche al gran lavoro,
Posò l' Arte la man, Natura il Braccio.

Latinè.

A quodam olim Noſtræ Societatis.

MOle theatrali ſurgit, redimitaquè monte eſt,
Quam ſolis prima lampade inaurat Eos,
Urbs, quæ dum Cæli, Pelagiquè laceſſit amores;
Oſcula habet Cæli frons, Pelagiquè pedes.
Tyrrhenum, Joniumquè pari rapit ambitus æſtu,
Certantquè alternis fluctibus Urbe frui.
Ipſa etiam citat huc greſſus, ſtudioquè videndi,

Ar-

Arrectis inhiat collibus Italia.
Huic Equus auratis Orion militat astris,
Huic Scylla excubias, atquè Charybdis agunt.
Hic tandem exhaustis Ars, & Natura quiescens
Viribus, hæc posuit brachium, & illa manum.

EXCURSIO II.

Notatio, & Conjugata.

37. DICO: Ad Notationem, & Conjugata reducuntur Lusus omnes, qui circà nomen, vel nominis Literas, Significationem, Syllabas fieri possunt: Æquivoca præterea, Antitheses, Analyses, Paronomasiæ, Anagrammata, & Echo, sed de his duobus infrà suo loco. Accipite Exempla nonnulla.

De Divæ Rosaliæ Virginis Panormitanæ Nomine ex quodam N. Soc.

INfanti certant Rosaliæ imponere nomen
Liliaquè, & pubes dum Rosa quæquè suum;
Candida Virgineum sibi jactant illa nitorem;
Objicit illustris sanguinis illa decus.
Lis venit ad flores. Nimiâ Rosa ferbuit irâ;
Pallidaquè è subito lilia facta metu.
Sic florum statuis populus: nè suscitet iras,
Tum Rosa, tum nomen Lilia perficiant.
Mox nova lis: visum Rosalilia longius æquo
Nomen; & ex aliquâ pars obolenda viâ.

Hic

Hìc Rosa, ut in tuto sua poneret omnia, sensim,
Li spinis abolet; sic Rosalia datum est.

In sabellum,

Ex Martiali.

ODi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus & Sabellus,
Bellum deniquè malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam Sabelle belle.

In Obitu P. Claudii aquavivæ Societatis JESU. Generalis,

Ex Tarquina Gallutio.

PAr erat æternæ te ducere tempora vitæ,
Nomen & æternum, Viva quod indit Aqua.
Humanâ probitas major, divinaquè virtus
Menti cana fides, hæc tibi vita fuit.
Vox cælestis erat, species dignissima vultus,
Et qui cælicolis dicitur esse color.
Occidis, & tecum vis occidit illa bonorum,
Quæ te mortalem non sinit esse virum.
Jam nullos posthac fluvios rear esse perennes!
Cùm tu etiam possis, ô Aquaviva, mori.

(§) (§) (§) (§)
(§) (§) (§)
(§) (§)
(§)

Ad Joan. Carolum Codkevic,

Ex P. Matthia Casimiro Sarbievio.

SPernere si nolis Vatis præsagia Musæ,
Nil in te juris, Carole, casus habet.
Vilneæ nuper dùm mandat Apollo Thaliæ,
Grammaticâ nomen flectere lege tuum;
Cunctatur, dubitat, pallet, rubet hæsitat, alget:
Hæc hilari tandem voce Thalia refert:
Codkevic, ait, est indeclinabile nomen:
Robore bella gerit; Casibus ergo caret.

In Joannem Vitellium jàm jàm moriturum.

IUpiter omnipotens, Vituli miserere Joannis,
Quem mors festinans non finit esse bovem.

In Erasmum.

QUæritur undè tibi sit nomen, Erasmus, eras-mus.
Si sum mus-ego, te judice, summus ero.

Epigrammatis fragmentum

De Diva Barbara

Ex Baubus.

ERgò ego tam mitis cur dicar Barbara, mitte
Querere: quod non sim Barbara facta docent.
Sed Parcæ ut parcunt, ut luci lumine lucent,
Ut

Ut bellum est bellum, sic ego Barbara sum.

In Apicium edacem.

Ex Martiali.

DE nullo quereris, nulli maledicis, Apici:
Lanx queritur, Linguæ te tamen esse malæ.

De Partu Phœnicis, & Viperæ.

TU pereundo paris viventem mortua Phœnix:
Vipera vi pariens, tu pariendo peris.

In Despauterii Tumulo.

GRammaticam scivit, multos docuitquè per annos:
Declinare tamen non potuit Tumulum.

In Christi Crucem,

Ex Baubus.

ARbore funereâ laceros Christi explicat artus,
Et latet in lateris vulnere divus Amor:
Ut Christi, mens si qua pio librata volatu
Incidat in plagas, sentiat esse plagas,

De Amente, & Amante.

DIcite, cur longa est Amentis Syllaba prima,
Insano contrà cur in Amante brevis?

Sic, credo, furor eſt Amenti par, & Amanti:
Sed furor eſt illi longus, huic brevis eſt.

De Vitanda occaſione.

QUid facies facies Veneris cum Veneris antè?
Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.

In Flaccum Oratorem imperitum,

Ex Mart.

QUis neget orantem populum te Flacce movere.
Orantem quoniam Concio tota fugit?

Ad Cinnam.

CInnam, Cinname, te jubes vocari.
Non eſt hic, rogo, Cinna, barbariſmus?
Tu ſi Furius antè dictus eſſes,
Fur iſtâ ratione dicereris.

EXCURSIO III.

Partium Enumeratio.

38. DICO: Per Enumerationem Partium totum argutè inferes: vel ſuprà aliquas, unamvè partem, argutiam fabricabis.

EXEMPLA.

In Mulierem Ornatam,

Ex Owen.

PLuma ſuper caput eſt, & ſub pede ſuber utrumque

A ca-

A capite ad calcem te probat eſse levem.

De Horologio Sonante,

NOla ſilet, ſtàtque hora, gravi en traho pondera plumbo,
Ut rota nexa rotis, tinnulaquè æra ſonent.
Quis teneat lento fugientia tempora nodo.
Si dant & celeres plumbeà vincla pedes?

In Senem Appium Ebrium.

IN niveis Appi jàm regnat Bruma capillis:
Inquè oculis ſemper vino flammantibus Æſtas.
Baccifer Autumnus pingit naſumquè, genaſquè.
Dumquè bibit, florum dulce illi, reſpice, Ver eſt.
Sic potans totum in vultu gerit Appius Annum.

INCURSIO IV.

Genus, & Species.

39. DICO: Reflecto ad genus, reiquè Speciem, facilè poterimus aſcendere, vel deſcendere, donec argutus mentis conceptus nobis eluceat.

Huc reducuntur argutiæ, cùm tranſitus ſit ex uno ad plura, ex pluribus ad unum, ſivè ejuſdem, ſivè diverſæ ſpeciei V. G. ex unâ Tuſſi

 ad

ad aliam, ex unâ Lupâ ad feritatem totius speciei. Sic loquendo de Divino Amore ergâ humanum genus in Incarnatione Verbi, hanc quidam traxit argutiam de Amore veluti in genere:

Ad Virginem ab Angelo salutatam.

CUm fore divinâ te posthac prole parentem,
De genere Aligerum nuntius eloquitur;
Tu nè quære modum: quia nescius ille rubebit,
Rejicietquè modum cautus in Artificem
Quinimo Auctorem si, Diva, rogaveris ipsum!
Auctor tanti Operis vix sciet ipse modum.
Quisquis amat, Diva, extrà omnem moremque modumquè.
Nescit hic in propriis rebus habere modum.

Ad Æliam vetulam edentulam,

Ex Martiali.

SI memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Expuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus.
Nil isthic, quod agat, tertia tussis habet.

In Librum Homeri ab Asello consumptum

CArminis Iliaci Libros consumpsit Asellus.

Hoc fatum Troiæ est, aut Equus, aut Asinus.

De Lepore capto à Cane Marino,

Ex Ausonio.

TRinacrii quondam currentem in littoris orâ
Antè canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis Terræ, Pelagiquè ruina est;
Forsitan, & Cæli, si canis Astra tenet.

Anseris querimonia, quem Romani arbore suspensum jaculis petebant.

QUid benefacta juvant? Quid vos servasse, Quirites,
Et Capitolini Templa superba Jovis?
En jaculis, summâ pendens ex arbore, vestris,
Postmodò Victori præda futura, petor.
Ergò non aliam, tantâ feritate, decebat,
Quám vestri altricem sanguinis esse Lupam.

EXCURSIO V.

Similitudo.

40. DICO. Similia uberem argutiarum venam aperiunt. Ad hæc reducuntur Metaphora, Allegoria, Comparatio, maximè si hyperbolica, à majore ad minus, vel à minore ad majus; Paritates, quæ quandoquè petantur è

Scientiarum, atquè Artium Vocibus, & Instrumentis. Accipite, si lubet.

EXEMPLA

De Freto Mamertino.

AMpla Theatra vides, quæris spectacula? Pontus
Hic geminus geminis digladiatur aquis.

De Aquila in aëre interempta.

DUm pedibus leporem fulvus Jovis ales aduncis
Fert celer, & liquidum radere pergit iter;
Vulnere lethalis [quis credat] in aëre baccæ,
Quæ chalybe è medio protinus icta ruit;
Labitur, in præcepsquè imum per inane voluta,
Et vitam, & vitæ gaudia liquit humi.
Labentem ut vidit Divum Pater æthere ab alto,
Et sua mortales fulmina, dixit, habent.

De Muliere Cananea cani comparata à Christo Domino.

Ex P. Bargiocchi.

ECce catella sequax Domini jàm sensit odores,
Et mitem latebris evocat arte feram:
Lam-

Lambere quam lingua, non lædere morsibus, optat;
Agni etenim morsus non timet ista canis.

De Tribus hominum hostibus,

Ex P. Bauhus.

UNum Grammaticum, Logicumquè & Rhetora vita:
Ho modo vitaris, cætera tuta tibi.
Quis Rhetor? Mundus fallax. Logicus? Cacodæmon.
Semper declinans est Caro Grammaticus.

De Clepsydra

Ex Anton. Venet.

TEmporis hic index tenuis, qui pulvere manat,
Jamdudum Græcis clepsydra fluxit aquis.
Humor humus factus, sic nos, & nostra figurat;
Dum vita est, Lacrymæ; dum morimur, Cineres.

Martialis sic terminat Epigramma

de Catella Publii.

HAnc nè lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella:
In qua tàm similem videbis Issam,

Ut sit tàm similis sibi, nec ipsa.
Issam denique pone cùm tabella;
Aut utramquè putabis esse veram,
Aut utramquè putabis esse pictam.

De S. Mariæ Magdalena.

TUta per undantis refluos tibi pectoris æstus,
Magdala, divino lumine puppis abit.
Unda tibi lacrymæ, mens navis, vota rudentes,
Spes malus, gemitus flamina, vela preces,
Temo timor, remi curæ, pudor anchora, merces
Unguentum, comites crimina, rector Amor.
Pande rati tu, Christe, sinus: & inhospitus hospes
Secum indignanti murmure turba fremat.
Hic merces deponit Amor, puppimquè ligabit:
Caures sunt plantæ, ductaquè vincla comæ.

De Leone Cæsaris.

Ex Martiali.

ÆThereas aquilâ puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus,
Nunc tua Cæsareos exornat præda Leones:
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? Summus utrique
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.

In

In Pauli Nasum.

Ex Mureto.

EXiguum si quis nasum vidisse laborat,
Paulum adeat, Paulo si modo nasus inest.
Non etenim est nasus, sed pars centesima nasi.
Et quo quis viso dicere possit, ubi est?
Talis inest nasus muscis; sed & his quoque major,
Et melius nasi nomine dignus inest.
Quàm quæ per radios volitant corpuscula Solis.
Majorem nasum vix, puto, Paulus habet.

INCURSIO VI.

Dissimilia, Opposita, Repugnantia.

41. DICO: Huc spectant omnia Oppositorum genera, in quibus amplam acuminum aurifodinam habemus; cùm scilicèt aliquo modo Opposita, ac Relata conferimus, & comparamus.

EXEMPLUM,

Ex Martiali.

DIfficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.
Nec tecum possum vivere, nec sinè te.

Aliud.

INsequeris, fugio; fugis, insequor. Hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Aliud.

OMnia, Castor, emis; sic fiet, ut omnia vendas.

Aliud.

SCribere me, quereris, Velox, Epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

De Navi in littore exusta.

JAm ratis æquoreas oneraria fugerat undas:
Matris & in terræ disperiit finibus.
Corripitur flammis, atquè ardens auxiliares,
Quas maris hostiles fugerat, optat aquas.

De Diva Maria Magdalena.

FUlmina cùm miseri quondam sparsistis ocelli,
Heu mihi, quâ perii tunc ego adusta face!
Flumina conversi postquùm fudistis ocelli,
O ego quo vixi tunc animata modo!
Crudelesquè, piique oculi, quos pectore ab imò

Ipsa

Ipsa odisse velim, quos & amare velim.

De Christo Crucifixo.

PRò servis Dominus moritur, prò fontibus insons,
Prò ægroto Medicus, pro grege Pastor obit.
Prò populo Rex mactatur, prò milite Ductor,
Proquè opere ipse Opifex, proquè homine ipse DEUS.
Quid servus, sons, ægrotus, quid grex populusque,
Quid miles, quid opus, quidvè homo solvet? Amet.

EXCURSIO VII.

Adjuncta.

42. DICO. Si Adjuncta, seu Circumstantias, quæ rem aliquam, factumvè comitantur mente percurras, facilè erit aliquod invenire, undè acumen effodias. Juvabit sæpius repetitus Versiculus:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

EXEMPLA.

Cùm Serenissima Christina Sveciæ Regina in Collegio Romano Societatis JESU Infimam Grammaticæ Classem inviseret.

HÆc gymnas teneram format, Regina juventam;

Eru-

Erudit & primis flectere verba modis.
Nec solùm verbis, sed verbere verba docemur:
Et meminere aures, & meminere manus.
Quanto odio nobis verbum inculcatur Amandi,
Immites odit mitius agna lupos.
Regali at vultu melius puer omnia discit:
Christinam vidit, protinus, inquit, Amo.

De Christo Columnæ alligato.

DI marmo è la Colonna,
Di marmo son gli empi ministri, e rei,
E tu stesso, Signor, di marmo sei.
Marmo ella per natura:
Marmo quei per durezza:
Marmo tu per costanza, e per fortezza.
Jo, che di pena si spietata, e dura
Spettator ne rimango,
Marmo son, se non piango.

Latinè redditum.

A Moraschino.

MAmorea est, quâ tu religaris, Christe, Columna.
Marmoreus, qui te lictor uterque ligat.
Marmorei funes, solido de marmore flagra.
Horrida; marmorem te quoque fecit amor.
Ipse ego, ni lacrymans isthæc spectacula cernam.
Durius, heu! duro marmore marmor ero.

Idem

Idem à Julio Cæsare Destiti.

ESt de marmore cæsa columna, ferusque Satelles.
Marmoreus: nec te è marmore, Dive, negem.
Naturâ hæc marmor: feritate hic marmor: at ipse.
Mentis es immotæ robore marmoreus.
Quin ego, dum specto tales ab imagine pœnas,
Marmoreus magè sum marmore, ni lacrymo

INCURSIO VIII.

Causæ, & Antecedentia.

43 DICO: Causarum, & Antecendentium Consideratio illustrem argutiarum sobolem pariet. Vis igitur argutiam invenire? Poteris illam eruere, Causam aliquam veram, ludicram, fictam, probabilem, aut hyperbolicam effingendo Si tamen Causam depromas inexpectatam, Epigramma erit mirum in modum jucundum. Jam Causas quatuor esse suo loco diximus, Efficientem videlicet, Formalem, Materialem, Finalem. Ad Causas reducuntur Inventores, Artifices, vel falsi Dii, quibus Poëtarum insomnia rem sacram, dicatàmque esse tradiderunt.

EXEM-

EXEMPLA.

In Parthenopeum,

Ex Martiali.

LEniat ut fauces Medicus, quas aspera vexat
Assiduè tussis, Parthenopee, tibi;
Mella dari, nucleosque jubet, dulcesquè placentas,
Et quidquid pueros non finit esse truces
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopee, gula est.

In Diodorum Avarum.

LItigat, & podagrâ Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil Patrono porrigit; hæc Chiragra est,

De Procli Naso grandiore.

NOn potis est Proclus digitis emungere nasum:
Namquè est prò nasi mole pusilla manus
Nec vocat ipse Jovem sternutans; quippe nec audit
Sternutamentum, tàm procul aure sonat.

De

De Christo Domino, ac Divo Petro Cruci affixis.

CUr Petri sursum plantæ, Christiquè deorsum?
Sub terras ibat Christus, in astra Petrus

De Christo Domino die Veneris passo.

LUce obiit Veneris. Veneris fle turba. Videtur.
Causa Dei passi non minima esse Venus.

De Carne, & Animo.

QUæris cur animâ caro fortior? Accipe caussam:
Hîc carnis Patria est, hîc animæ Exilium est.

Cur Marco Tullio sectus fuerit jugulus.

QUæ Tulli ambrosiis insedit suada labellis,
Vel ferreâm poterat flectere blanda necem.
Non flexit vox blanda. Nigras nè fortè sorores
Dulcè trahat, rupit mors fera vocis iter.

Cur aurum defossum lateat.

TErrigenum exitio nascor, Mundiquè ruinis,
Omnigeno sceleri fax, seges, arrha, caput.

Quam

Quam benè me cæco defodit provida Averno,
Et mihi pro cunis Terra sepulchra dedit!

De Magorum Stella,

Ex Guinisio.

DUcit ab Eoo populorum examina Sidus,
Nec sese aspectu subtrhait usquè ducum.
At cùm Bethlemias radiis propè despicit oras
Quà JESUS tenui membra locabat humo;
Fax sub itò ex oculis evanida cessit in auras
Et benè: vicino Sidera Sole cadunt.

De Sue, quæ ex vulnere peperit;

Ex Martiali.

ICta gravi telo, confossaquè vulnere mater
Sus pariter vitam perdidit, atquè dedit.
O quàm certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusquè Dianæ,
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

EXCURSIO IX.

Effectus, & Consequentia.

44. DICO: Ab Effectibus, & Consequentibus, repentinis præsertim, & improvisis; si aliquid acutum eruas, gratissima ad aures perveniet Epigrammatis Clausula.

EXEM-

EXEMPLA.

De Diaulo,

Ex Mart.

NUper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus.
Quod veſpillo facit, fecerat, & Medicus.

In Senem delirum.

BArba tibi crevit, ceciderunt, Marce, capilli:
Indè tibi gravis eſt barba, caputquè leve.

De piſcibus inſculptis,

Ex Mart.

ARtis phidiacæ toreuma clarum
Piſces aſpicis? Adde aquam; natabunt.

De Fratre, & Sorore altero oculo captis.

LUmine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro:
Et potis eſt formâ vincere uterquè Deos.
Blande puer, lumen, quod habes, concede ſorori.
Sic tu cęcus Amor, ſic erit illa Venus.

Equus

Equus barbarus miræ velocitatis.

Quod Carmen ex Hieronymo Preti P. Bargiocchi deduxit.

FIlius eſt auræ, ventorúmque æmulus acer,
Qui volat, & Terram nec pede ſignat equus.
Cujus anhelantes mirantur lumina curſus:
Currere ſed pariter lumina nulla valent.
Qui pede ferrato, ceu fulgura clara, favillas
Spargit, & hinnitu dùm fremit ore, tonat.
Quem cuperet propriis Phœbos junxiſſe quadrigis:
Sed fugerent curſu tunc breviore dies.

Italum Carmen deſideratis, undè hoc Epigramma depromptum? Accipite:

FIglio dell' aura, emulator de' venti,
Curſor veloce, e volator ſenz' ale:
Di cui vola più tardo alato ſtrale,
Volan per l' aria i fulmini più lenti.
Il tuo corſo a mirar corron le genti:
Ma per ſeguir tuo corſo occhio non vale.
Non corre il Cielo alle tue piante eguale:
Men veloce il penſier muovon le menti.
Tona il nitrito, e la ferrata zampa
Sparge delle faville i lampi intorno;
E pur ſelce non tocca orma non ſtampa.
Te brama il Sol per lo ſuo carro adorno:
Ma, traendo del dì l' ardente lampa,
Breve fareſti col tuo corſo il giorno.

De

De Pompilii Naso.

Ex Mureto.

POmpilio eſt naſus cubitos tres longus, & unum
Latus, & hunc murus cingit utrimquè triplex.
Adſunt & turres, Bacchus, quas condidit ipſe,
Et minio tinctis uſquè rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt:
Nam calices ſiccos illius umbra facit.
Immò etiam longè diſtans ſi ſenſerit uſquam,
Ut Magnes ferrum, ſic trahit ille merum:
Nuper eram in Menſâ, ſitiens, potare paratus:
Pompilius clauſas aſtitit ante fores:
Mira canam, ſed vera, merum mihi forte paratum.
Attraxit naſo protinus ille ſuo.

EXCURSIO X.

Loci Extrinſeci, ſeu Remoti.

45. DICO: Quidqùid ad Locos Remotos, & Auctoritatem extrinſecam pertinet, argutias quoquè parit innumeras, & plauſibiles. Huc præcipuè ſpectant Eruditiones, Alluſiones ad Hiſtorias, & Fabulas; Sententiæ, præſertim morales, Proverbia, ſeu Adagia, Apophthegmata

gmata, Acroamata, Symbola, & Hieroglyphica, gentilitium Stemma, &c.

EXEMPLA.

De Viperâ Electro inclusâ,

Ex Martiali.

FLentibus Heliadum ramis, dum Vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quæ, dùm miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulchro;
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

Joannes Zisca testamento suis reliquit, ut sui pelle tympana tegerent ad milites convocandos contra Romanos,

Ex Bargiocchi.

ZIsca ferox, terris Gorgon educta Boëmis,
Vuiclephi proles digna parente lupo,
Ut crudas Moriens in Romam exerceat iras
Hæc bellator atrox ultima jussa dedit:
Extincto pellem subitò mihi detrahat ensis,
Gentis & hæc nostræ tympana prima tegat.
Ut libeat quoties indicere bella Latinis,
Pulsa viros toties pellis ad arma vocet:
Sed furor hic dignam meruit, se judice, pœnam,
Mortuus ut crebris ictibus usque gemat.

In

In Uxorem linguosam,

COnjugis ingentes animos, linguamque domare,
Herculis est decimus tertius iste labor.

Ad Bassum,

Ex Mart.

COlchida quid scribis? quid scribis, amice, Thyestem?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est (mihi crede) tuis aptissima chartis
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaeton.

In Rosam purpuream.

QUid facis ah! demens? Ludentem subtrahe dextram:
Vin iterum tectis flore dolere dolis?
Sauciat hæc etiam, rutilo quæ fulgurat ore;
Quin, & odoratum fulmina fulgur habet.

Draco insecta cauda Gentile Stemma Gregorii Decimi tertii P. M.

Ex P. Francisco Remondo,

PEstem in nos Coluber capite intulit; hic quoquè caudâ.
Cælestes pavidâ traxit ab arce Choros.

Con-

Contrivit Colubri Virgo caput, Optime Paſtor,
Secta eſt imperio cauda cruenta tuo.
Quis timeat capitiſvè luem, caudæve ruinas?
Qui fuit ante Draco, nil niſi truncus erit.

In Stemma Jo. Caroli Chodkevic M. literam duodecimam inverſam,

Ex P. Caſimiro.

MAgnus Alexander, Magnus Pompeius habetur,
Magnus habebaris, Carole, Magnus Otho.
Scilicet hos Magnos magni fecere triumphi
Te major Magnum, Carole palma facit.
Perlege ſtemma tuum Vincis te, Vincis, & hoſtem;
Hic quæ Terra legi non putat, Aſtra legunt.
Si dubitas; hoc ipſe DEO da ſtemma legendum:
De cælo Magnum Maximus ipſe leget.

In tres tubas Stemma Joannis Rudomina.

TRes nuper Divæ, Bellona, Diana, Thalia,
De Rudominæis dimicuêre Tubis.
Noſtra Tuba eſt Bellona inquit, Tuba noſtra, Diana eſt:
Hæc, inquit, potius noſtra, Thalia, Tuba eſt,
Audiit, & Getico Mavors ſubriſit ab Hæmo:
Nil mihi cùm veſtris, Numina docta, Tubis.
Veſtra Tuba eſt Bellona, inquit, Tuba veſtra Diana eſt.

Veſtra

Veſtra Thalia Tuba eſt, ſed Rudomina meus.

46. Hæc de argutiis inveniendis prò modulo noſtro tetigiſſe ſit ſatis. Quæ de hac materiâ docuit. P. Juglaris in ſuâ Ariadne, ad hæc facilè revocantur. Emanuel Theſaurus in ſuo Libro, cui, Cannocchiale, nomen fecit, argutias ex Ariſtotelis Categoriis, ſeu Prædicamentis eruendas docet. Sed hęc omnia ad Topicam reducuntur: & Categoriarum cognitio Philoſophum, non merum Rhetorem Auditorem deſiderat.

INSTRUCTIO VII.

De variis in Epigrammate Luſibus,

47. DICO 1. Variè ludimus in Epigrammatis. Conſtructione.

Primò fieri ſolet quandoquè.

Carmen bilingue;

48 QUoties ſcilicet voces habet duabus Linguis communes. Verùm in hujuſmodi Carmine non multùm religioſè ſervari poterit Sonus, & quantitas Syllabarum.

Exemplum Carminis Bilinguis, id eſt Italo Latini ex ingenioſo Recentiore.

IO canto, Chriſto in unâ rupe nato,
In Bethlemio præſepe, antro beato,
Nato nudo, per me, tenero infante,
Duce, & amante.

Quasi pæstana rosa in Campo aprico,
Quasi candida Aurora in Cælo amico,
Te laudo, sonando cithara piâ,
Bella MARIA &c.

Sed hi, similesquè Carminum lusus, in quibus improbus sanè labor, sed ferè inglorius, quosquè, ut libitum fuerit, poterit quisquè efformare, cavendum, nè in ridendam puerilitatem abeant.

Carmen Retrogradum.

49. DICO 2. Carmen Retrogradum dicitur, quod tale est, ut ejus Elementa, seu Literæ, si inverso ordine, a calce scilicet ad caput, relegantur, easdem prorsus voces efformant, ac si recto ordine legerentur. Hujusmodi sunt Versus illi, qui Dæmoni vulgò ascribuntur; & certè admiratione digni sunt:

Signa te signa temere me tangis, & angis
Roma tibi subito motibus ibit Amor.

50. DICO 3. Aliquando non singula Elementa, & Literæ, sed singulæ voces inverso ordine releguntur: V. G. Cùm quidam Catholicus cecinisset per hexametrum:

Patrum dicta probo, nec sacris belligerabo.

Respondit Hæreticus per pentámetrum, iisdem vocibus inversis, & sensu omnino contrario:

Belligerabo sacris, nec probo dicta Patrum.

Cui simile priscum illud Abelis & Caini dialogicum Disticon.

Abel.

Sa-

Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo.

Cain.

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue ſacrum.

Carmen Leoninum.

51. DICO 4. Huc revocant aliqui verſus Leoninos, quibus Veteres quandoquè utebantur; quorum ſcilicet poſtremæ Syllabæ, & mediæ ſimiliter deſinunt. Sed hujuſmodi Carmina nunc nullo fere pretio habentur; ideoquè potiùs fugienda, quàm imitanda: quamvis apud bonos Autores nonnunquam inveniantur: Virg.

Ora citatorum dextrâ contorſi: equorum.

De Horologio.

DAmna fleo rerum, ſed plùs fleo damna dierum.
Quiſquè poteſt rebus ſuccurrere, nemo diebus.

Cuidam Epitaphium.

GAudent anguillæ, quia mortuus extitit ille:
Presbyter Andreas, qui capiebat eas.

Carmen Serpentinum.

52. DICO: 5. Verſus, quos Serpentinos, ſeu Anguineos appellant, ſerpentis ritu veluti in gyrum collecti eò deſunt, unde in-

ceperant: V. G. ex Martiali:

Rumpitur invidiâ quidam, carissime Juli,
Quòd me Roma colit, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quòd turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, tribuit quod Cæsar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quod rus mihi dulce sub Urbe est,
Parvaquè in Urbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidiâ, quod sum jucundus amicis,
Quòd conviva freqaens, rumpitur invidiâ,
Rumpitur invidiâ, quod amamur, quodquè probamur.
Rumpatur, quisquis rumpitur invidiâ.

De Divo Jo: Baptista,

Ex P. Jugl.

AGnus eram: mox fregi Aries violentus Olympum:
Me lupa, meque lupus perdidit, Agnus eram.

Versus Relativi.

53. DICO 6. Versus Relativus dicitur, qui continet Figuræ relationem, de qua suo loco diximus in Arte Rhetoricâ. V. G.

In

In laudem Petri Bembi,

Ex Toscan.

HIstoricus, Vates, Rhetor, celebrat, canit, implet,
Gesta, ignes, aures, ore, lyrâ, eloquio.

Aliud celebre à Cacodæmone.

VErvex cùm puero, puer alter, sponsa, maritus,
Cultellis, lymphâ, fune, dolore cadunt.

Voces nihil significantes.

54. DICO 7. Carmina nonnulla voces interdum continent nihil significantes, multam tamen jocandi vim habentes, & gratiam.

EXEMPLUM.

In Ducem Romanum lingua, & manibus non adeo continentem, quod ejus linguæ vitium imitando irridet.

NI ferro, & igni vincere fa- Faventiam,
Magne Imperator Balbe, cu- curaveris,
Torto repentè capite fur- furcam imbuas,
Ille imperabit, quem vocas pa- pa- pater.

Versus Concordantes.

55 DICO 8. Versus Concordantes appellari solent, in quibus voces quædam inveniuntur utriquè Carmini communes: & sic scribi solent:

Et canis Venatur, Servat.
In Silvis Et omnia
Et lupus Nutritur, Versat.

56. DICO 9. In hujusmodi Carminibus non solùm Voces, sed etiam Syllabæ quandoquè communes sunt utriquè Versui.

E X E M P L U M.

De Divo Nicolao.

Quam lacten Chris dona amor
tum ti tus vit is;
Tan crescen vir cumula Honor

Aliud.

De Uxore,


pit rem, tem pit lorem
Qui ca Uxo li ca atq; do
ret re te ret lore.

Carmen Decussatum.

57. DICO 10. Decussatum Carmen vocatur, quoties subscriptam Figuram quatuor ejus lateribus Characteres efformant.
Et tunc soli Characteres illi
qui talem lusum ef-
ficiunt,
pin-
gantur
solito gran-
diores, quo fa-
cilè ludus ap-
pareat.
En



EXEMPLUM



In-

IN Pelagi tumidis mortalis volvitur undiS,

NEc tenebras unquam cynthiA luce fugat.

Hinc aquilo inSurgit, furit hinc vaLidissimus auster

Et fragilem Ventus jactat Uterquè ratem.

Anchora quæ poterit SæviS obstare procellis,

Quisque rudEns gravidos Multiplicare sinus?

Ah pereat ciTiùs, vereor, ne mersA profundo

CymbVla, ni præstò sit tua viRgo manus.

Vivet iI ad puppim JESUS proreta sedebIt:

Alter namquè salus, altera in Astra viA

Carmen Acrostichon, & Telostichon.

58. DICO 11. Quandoquè ità disponitur Epigramma, ut primæ Versuum literæ, vel postremæ, vel utræquè aliquid significent ad rem pertinens, vel nomen personæ alicujus. Primi generis Carmen vocant Acrostichon: secundi generis dici posset Telosticon. En Exemplum R 5 *In*

In Divum Conradum.

C oncelebrant patrio Siculi, pater inclyte, plectr O
N omina Virtutum, queis fulges Sideris instа R;
A cta refert Cāpus, pulchra omnia, pulchrius & quo D
U nus in astrifero divus cardo æthere splende S.

Sed en aliud Exemplum dignius ex Antonio Venetiano in laudem Don Ludovici Torres Archiepiscopi Montis regalis in quo Carmine primę literæ, ordine, suo nomen, & cognomen personæ laudandæ conflant, quod postremæ etiam faciunt sursum versus.

D. Ludovicus Torres.

D iscat, cui sacri custodia credita ovili S
O mne ex te munus, seque tua auctet op E:
N am modo tu teneas clavū, & moderere Magiste R
L intrem, nullus aquæ versat, agitque timo R
V elaque turgenti nil formidantia pont O
D es licet ira, salis mitis, & unda cade T.
O nova longè alia à primis miracula! Turri S
V ndique divinâ stat bene fulta man U
I rruat hinc venti furor, & maris irruat illin C;
C ontra nos portæ nil valuere ereb I
U tque bona aspexere pio nos numina vult V,
S olem te nostro quando dedere pol O;
T e incolumen nobis sic servent, & prece quidqui D
O ptatis pleno dentquè ferantquè sin U
R edditur en rursus per te ætas aurea, Præsu L
R edditur aspectu splendidiore tame N
E t ceu nil ortum melius Te vidimus un O,
S ic certum tale est non oriturum aliqui D.

59 Hæc

59. Hæc de Epigrammatum Iusibus satis. Ludunt alii aliis modis, nimirùm vel ita Carmina disponendo, cujuscunquè sint generis, ut Alas Aram; Securim; Arcum triumphalem, & similes Figuras efforment: vel Latina Carmina ità desinentia construendo, ut Carminis Italici Leges servent, ut

Carmen Latinum hetrusco Rhythmo efformatum,

Quod refert Abbas Lancellotti in suo Oggidi p 2. disting. 12. ex Cæsare de Laurentio Societatis JESU ad Gregorium XV. P. M.

Felicitas Principis nostri.

GRegorj, magno minor ò Tonante
Qui Regis Mundi dominas habenas:
Et Vaticano sustines Atlante
Orbem, sed Orbe major ipse: pœnas
Gelu quà duit Ursa candicante,
Quà torret Auster Æthiops arenas,
Quà Sol Ibera se recondit urna,
Quà tela cudit Pholphorus diurna.
Sub tuâ Capitolium Tiarâ &c.

Aliud ex eodem.
Pro Sole, quo Iris Ludovisia pingitur, Adversus Othomannicam Lunam.

HOc Othomannæ male fida sordis
Luna ingemiscat, Luna perduellis

... Regum Principi rebellis,
Luna quæsitæ rea dora mortis:
Dumquè avernalis Coluber cohortis
Crudescit atris ignium procellis,
Convulnerata cornibus gemellis
Ictibus pessum cadat irretortis.
Grægorj, ratis ò salutis una,
O digne cælo, cælitumquè prole,
Ipse Dux fortes animos aduna.
Mox sua Thracis ruet aula mole;
Namquè Othomannâ, Traciaquè Lunâ
Major es, quanto minor illa Sole.

Verùm ab his abstineo, quia Exemplum ferè nullum apud bonos Auctores invenio.

60. Quæ retulimos Exempla, aliena sunt: nostra sæpiùs recitari audistis in Academiis: & illorum Libellum mox habebitis, qui sub prælo est jam iam proditurus in lucem.

EXER-

EXERCITATIO VII.

DE EPICA POËSI

I.

EPICA Poësis, quæ, utpote omnium nobilissima, & veluti Regina, commune nomen sibi proprium fecit, & absolutè Poëma dicitur; talis est, ut qui illa careat, absolutè Poëta neutiquam dici possit. Vos igitur, si Poësis, atquè Poëtæ nomen in votis est, Poëmatis construendi Leges, studiumquè oportet ne contemnatis.

INSTRUCTIO I.

Epicæ Poeseos Nomen, ac Natura.

2. DICO 1. Dicitur Epica à voce Græca ἔπος, quæ Versum, sed præcipuè heroicum, sonat: undè heroica Poësis Epica seu Epopœia per Antonomasiam appellari consuevit.

3. DICO 2. Epopœia est Poesis hexametro Carmine per Narrationem imitans personarum Illustrium actiones. Unde patet ejus materiam esse

esse actionem illustrem, ac nobilem; quæ quidem tristi vel felici exitu terminetur.

4. DICO 3. Hæc Poëmatis materia quamvis esse possit omnino ficta, & fabulosa (dummodo probabilis, & verisimilis sit, suamquè contineat Allegoriam) melius tamen erit, si ex aliquâ gravis Auctoris Historiâ deducatur, suprà quam deinde poterunt figmenta Poëtica fabricari.

INSTRUCTIO II.

Epici Carminis Artificium.

5. EPici Carminis Artificium fit per tres partes, Propositionem videlicet, Invocationem, Narrationem, de quibus brevissimè.

Propositio.

6. DICO 1. Propositio est summa rei dicendæ breviter exposita, quæ Auditores benevolos, attentosquè reddat.

7. DICO 2. Hæc Propositio dupliciter fieri potest;

8. Primò directè, cùm scilicet apertè proponitur summa rei dicendæ, annexo personæ nomine. Sic fecit Homerus in Iliade. En ejus Carmina ex Græco idiomate Latinè reddita à P. Pulcherello:

Diva, neces Danaûm tantas quâ percitus irâ.
Ediderit, qua clade virûm, quo sævus Achilles

Func-

Funere Graiugenûm fauces oppleverit Orco
Incipe &c.

9. Secundò indirectè, & veluti per quamdam circuitionem, non expresso personæ nomine; ità tamen, ut non posit non intelligi. Ita idem Homerus in Odysseâ.

Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit, & Urbes &c.

Ità Virgilius in suâ Æneide:

Arma, Virumque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Laviniáque venit
Littora. Multum ille & terris jactatus, & alto,
Vi Superum &c.

Ita Torquatus Tassus:

Canto l' arme pietose, e 'l Capitano,
Che 'l gran sepolcro liberò di Cristo.
Molt' egli oprò col senno, e con la mano.
Molto soffrì nel glorioso acquisto &c.

10. DICO 3. Sivè directè, sivè obliquè fiat Propositio, demissior sit, totoquè poëmate humilior, sinè ullâ ingenii ostentatione, aut Carminis, verborumque tumiditate: nec talis, ut ex ipsâ, tamquam è monte, mus oriatur, in quo passim reprehenditur Statius in Achilleide, & Lucanus in Pharsaliâ. Itaquè talis sit Propositio, ut Poëma paulatim assurgat: in quo imitandi, laudandiquè Homerus, Virgilius, Tassus.

Invo-

Invocatio.

11. DICO 1. Invocatio est divinæ opis imploratio: quæ quidem Invocatio quandoquè fieri etiam solet in Poëmatis progressu, cùm in gravem aliquem, difficilioremquè locum incidimus. Jam invocari poterunt Musæ, Phœbus, Nymphæ, Fluvii, Fontes, Superi, Deipara Præsertim; & DEUS Optimus Maximus, Principes quandoquè, Imperatores, Reges, Heroes, juxtà Poëmatis materiam atquè argumentum; & possunt nonnunquam plura simul invocari.

12. DICO 2. Invocatio dupliciter fieri potest, primò seclusa à Propositione; secundò cùm Propositione alligata. Secundus modus Græcis, primus Latinis magìs familiaris: neuter reprehendendus, uterquè imitandus. Statius in Achilleide secundo modo usus est.

Narratio.

13. DICO 1. Narratio, præcipua Poëmatis pars, est integræ, & unius Orationis illustris expositio: quæ quidem Poëtica sit oportet: &, si suprà verum fundetur; ut passim solet, multa prætereà ficta contineat, ita tamen, ut contingere potuissent, vel debuissent.

14. DICO 2. In Narratione non incipiendum à primis more Historico, sed vel à mediis, vel ab ultimis; dummodo illustre quid ponatur in principio, quod deinde veluti catenatum

Audi-

Auditoris animum, rei novitate, variisquè Episodiis ad finem usquè perducat.

15. DICO 3. Admittit Descriptiones rerum, Locorum, Urbium, Bellorum &c. Non tamen omnia ab ipso Poëtâ narrentur, sed potiùs per crebra personarum Colloquia; in quibus servandum decorum, & personæ loquentis conditio. Si quæ ab ipso Poëtâ dicenda erunt, brevissimè absolvantur.

16. DICO 4. Juvabit rerum futurarum semina per Vaticinia jacere; quæ fient à rebus etiam inanimatis, Montibus nimirum, Fluviis &c. Sicut etiam solent nonnunquam res futuræ, vel præteritæ explicari, illas ostendendo in Clypeorum, Loricarum, Templorum, Turrium Picturis, vel Sculpturis, Fluviorum urnis, Bellatorum armis, vestibus, & similibus.

17. DICO 5. Epica Narratio Confirmationem, atquè Epilogum non habet: Amplificationem tamen admittit Figuris omnibus illustratam, sed præcipuè brevi, aptàque similitudine: in quibus, ut in omnibus, semper imitandus Virgilius.

18. DICO 6. Ne epica Narratio nauseam pariat, varia sit, novasquè semper rerum vicissitudines explicet. Admirationes, Expectationes, Exitus repentini, & inopinati, animorum motus, Colloquia personarum, dolores, amores, iracundiæ, luctus, metus, lætitiæ, spes, episodia, & similia, passim interserenda.

INSTRUCTIO III.

Epici Carminis Stylus, Virtutes, & Vitia.

19. DICO 1. Poëmatis Stylus heroicus sit, gravis, sublimis, luminibus tamen effulgeat, ac verborum rerumquè varietate, & splendore: phalerisquè omnibus graviter, opportunequè, regiâ quadam majestate, exornetur.

20. DICO 2. Ipse Carminis sonus rem, quam significat, imitetur, more Virgiliano, qui, ubi res graves, & tragicas scribit, lento Carminis pede incedit per crebros Spondeos, & quandoquè per spondaicum Carmen: ubi hilares, dactylorum celeritate sæpe utitur: ubi amorem, aut mœrorem exprimit, Versum adhibet interruptum, & penè hæsitantem &c. In qua re ingenio, judicioquè opus est, ut stylus unicus sit, nec puerilis in tantâ rerum exprimendarum varietate.

21. DICO 3. Cavendum, ne, præsertim in Narrationibus, Versus singuli sensum absolvant; sed curandum, ut unus cùm alterno sæpius connectatur.

22. Cavendum præterea, nè crebræ, abstrusæquè Fabulæ, frequentes Allusiones, ad Historias, aut Veterum Apophthegmata, & verba jam obsoleta, & Parente ses frequentes, vel longiusculæ, perspicuitati officiant.

23. DICO 4. Ut optimum assurgat Poëma, ejus Narratio, in quo ferè totùm sistit,

Primò

Primò Brevis sit [brevem dico, quæ non continet superflua, nec idem repetit, varia semper, ac recens] nec rem ab ovo exordiatur: nec plus æquo progrediatur:

Secundò perspicua, id est clara, & dilucida:

Tertio Probabilis, & verisimilis; quæ scilicet nil habeat contrà rerum, ac locorum naturam, communemque opinionem, atquè Historiarum famam: hinc damnant aliqui Virgilium, qui Didonem, fœminam alioqui castissimam, Æneæ amore irretitam finxit. Ubi tamen Historici variant, poterit Poëta, quem libet sequi.

24. DICO 5. Poëmatis Fabula primò Unica sit, secundò Integra, tertiò Docens. Illa

25. Unica erit, si ità plures actiones contineat, ut illis, quasi pluribus membris, unum corpus coalescat.

26. Integra erit, si constet suo principio, medio, & fine. Jam in principio semper illustre quid ponendum. In medio ita texenda Fabula est, ut quasi nodus implicetur, cujus solutionis desiderium Lectoris curiositatem excitet, & suspensam ad finem usquè deducat. Media autem nec à primis, nec ab ultimis dissideant. In fine tandem dissolvendus est nodus, sed per aliquod memorabile: & ità quod in Propositione promissum fuit, absolvatur, ut legentium animos penitus conquiescant:

27. Docens erit, si vel Allegoriam contineat, vel rem individuam, & particularem in universalem convertat. Sic Homerus in Iliade magnanimi, ac bellicosi viri normam expres-

pressit, in Odyssea prudentis, civilisquè hominis Figuram. Virgilius in Æneide optimi, piique Principis imaginem efformavit.

EXERCITATIO VIII.

DE

COMOEDIA

QUID me querelis exagitatis, quòd Comœdiis interesse prohibuerim? Eja flectite nunc mecum gressus Parnassum versùs, ibiquè ludicro, sed verecundo Musarum Theatro frui liceat. Si placent Comœdiæ, illarum construendarum Leges minimè displiceant.

INSRUCTIO I.

Comœdiæ Nomen, Definitio, Divisio.

1. DICO 1. Comœdia dicitur, ut notat P. Gallutius ex Diomede Grammatico, *ἀπὸ τῶν κωμοδρίων*, hoc est à Viculis, quo eâ humilium domorum, non publicarum, regiarumquè fortunæ comprehendantur: vel secundo *ἀπὸ ȣ κώμου* hoc est à Commessatione vel tertio *χπό τῶν κώμων nam κώμας*, Pagi rusticorum sunt: vel quartò à Vicis Urbium.

2. DICO

2. DICO 2. Comœdia communiter definitur: Est Poësis, dramatica, quæ ob docendam vitæ consuetudinem, civiles, ac privatas actiones cum lepóre, & facetiis imitatur.

3. Differt à Tragœdiâ, primò, quia Comœdia res civiles, & privatas: Tragœdia publicas, illustresquè continet actiones: secundò, quià Comœdia risus, & sales, Tragœdia perturbationes, ac luctus exposcit: tertiò, quia Comœdia privatos homines, & mediæ conditionis, Tragœdia Principes, Reges, Cæsares admittit: quartò, quia Comœdiæ stylus familiaris, affectusque mitiores; Tragœdię stylus sublimis, & gravis, motusquè animi atrociores: quintò, quia Comœdiæ exitus hilaris, & jucundus, Tragœdiæ funestus, & luctuosus.

4. DICO 3. Celebris est Comœdiæ Divisio in Veterem, Mediam, & Novam.

5. Vetus Comœdia erat, qua, regnante populari licentiâ, mali mores [divitum præsertim, ac nobilium] expresso nomine carpebantur; quod vel fiebat in toto Comœdiæ decursu, ut vult Scaliger, vel in Choro. In hac insignes fuêre Eupolis, Cratinus, Aristophanes, Phrynicus, Theopompus, Archippus, Plato, Pherecrates, aliique.

6. Media Comœdia, inter veterem scilicet, ac novam, erat, qua regnante Olygarchîâ, hoc est iniquo paucorum imperio, & quasi tyrannide, sub arduis pœnis coërcita est illa maledicendi licentia popularis, Choriquè usus expunctus: hujus loco transitiones quædam, seu digressiones fiebant, in quibus aliorum tantummodo scripta Poëtarum, aut dicta irrideri licitum

tum erat. In hac fuêre celebres Philippides, Strato, Anaxilas, Mnesimachus, Epicrates Ambraciora, Nicostratus, itemquè Cratinus.

7. Nova Comœdia, quæ florere cæpit sub Alexandro Magno, est, quæ caret utriusquè supradictæ Comœdie aculeis, & Choro, atquè illis Digressionibus, penequè infinitâ Carminum varietate: & ex eo argumento risum captat, quo generatim, universequè, nullo certo nomine expresso, mali mores notantur, solis jambicis, ac trochaicis contenta. In hac floruêre Philemon, Diphilus, Apollodorus, Menander, Plautus deinde, ac Terentius.

8. DICO 4. Dividitur ità Comœdia in Palliatam, Togatam, Prætextatam, Trabeatam, Tunicatam seu Tabernariam, Atellanam.

Palliata erat, in qua, Græcorum more, Histriones Palliati prodibant.

Togata dicebatur à vestitu Romanorum, quibus Toga, ut Græcis pallium.

Prætextata, quæ omnium nobilissima, dicebatur à pretextâ fasciis distinctâ purpureis, quâ induebantur Actores, Magistratus scilicet, & Senatores, qui in eâ inducebantur, non tamen Reges, aut dictionem aliquam Provinciarum, Urbiumquè dominatus habentes: hi enim ad Tragœdiam pertinent.

Trabeata prædictæ affinis erat, sic dicta à trabeâ, qua utebantur personæ Comœdiæ, quæquè Consulum in pace vestis fuit, in victoriâ Ducis, Equitum in pompâ funebri.

Tunicata, seu Tabernaria, quæ homines humiles tunicis indutos, ac tabernas colentes continebat. A-

Atellana ab Atellâ, Oſcorum oppido, nomen accepit, unde Romam jocis referta Comœdia translata eſt.

INSTRUCTIO II.

Comœdiæ Artificium.

9. DICO: Comœdiæ Artificium fit per partes duplicis generis: alias enim habet partes quantitatis, alias qualitatis: illæ ſunt, quibus extenditur: hæ quibus talis, vel talis fit: de quibus breviſsimè, more noſtro.

Partes Quantitatis.

10. DICO: Quinque ſunt partes quantitatis, quibus Comœdia dilatatur, Prologus nimirùm, Protaſis, Epitaſis, Cataſtaſis, & Cataſtrophe.

11. Alii præponunt duas alias partes, Titulum ſcilicet, & Argumentum. Sed hæ propriè Comœdiæ partes non ſunt, quamvis à Veteribus legi ante Fabulam ſolitæ fuerint. De utraquè tamen aliquid dicendum.

Titulus.

12. DICO 1. Titulus eſt nominis tàm Auctoris, quàm ipſius Comœdiæ, prima quædam inſcriptio, quæ in fronte legitur: hanc aliqui Fabulæ partem quantitatis appellant, ſaltem quæ Comœdiam integram reddit, & perficit, & omnes

omnes in fronte Operis præscribendam præcipiunt. In Titulo Veterum mos erat, si Græca Fabula Latinè reddita repræsentanda esset, Traductoris nomen ipsius Fabulæ nomini postponere. Qui quidem Titulus olim in Ipsâ Scenâ recitabatur.

13. DICO 2. Fabulæ nomen est, quod toti Comœdiæ imponitur; quod quidem è multiplici fonte, seu capite erui potest: scilicet vel à loco, vel à personæ primarum partium Nomine, Officio, Patriâ, ceterisquè adjunctis; vel à re, atquè argumento ipso, casu nimirùm, eventu, fato, & fortunâ, conditione, & similibus. Undecunquè tamen desumatur, talia sint hujusmodi capita, ut circâ illa, veluti cardines, tota Fabulæ summa versetur.

Ut ex his capitibus inditorum Comœdiis nominum Exempla afferamus;

14. DICO 3. Andria Terentii a loco, id est Andro Insulâ, nomen traxit, ex qua veniens Crito nodum Fabulæ soluit. Sic etiam à loco nomen accepit Brundusia, &c.

15. Aliquæ sortitæ sunt nomen à personis præcipuis totius Fabulæ. Sic Adelphi dicta est quia personæ præcipuæ in eâ sunt duo fratres Græcè enim ἀδελφοὶ fratres sonat. Ejusdem Terentii Eunuchus appellata est illa, cui argumentum suppeditat Dorus Eunuchus: Hecyra. In qua pleraquè per soceros, socrusquè aguntur. Græcè enim ἑκυρός socer, ἑκυρά socrus dicitur. Phormio dicta est ista, in qua una ex præcipuis personis est Phormio parasitus. Miles gloriosus dicta est, in qua hujusmpdi miles omnia perficit, clauditque.

16. Plauti Amphitruo dicta est ab Amphitruone præcipuâ ejusdem personâ, quæ Fabulam claudit: Asinaria ab Asinorum numerato pretio, quod in eà est: Aulularia ab Ollâ perditâ, & inventâ. Sic Stephonius à Crispo primas agente partes Crispum inscripsit celeberrimam Comœdiam tanto cùm plausu Romæ toties actam spectatamquè.

17. Terentii Heautontimorumenos nomen hausit à rebus ipsis, atquè argumento, quia in hac Comœdiâ Menedemus inducitur se ipsum excrucians, quòd propriâ duritie filium domo expulerit; Græcè enim ἑαυτόν τιμωρούμενος est se ipsum excrucians.

18, DICO 4. Hinc patet, idem dicendum de Tragœdiis, & quocunquè Dramatis genere.

19. Advertite Scaligerum velle, ut ab eo facto, aut ab eâ personâ, quæ est celeberrima dignitate, aut infelicitate, aut quæ plurimum versatur in toto argumento, Tragœdiæ nomen fiat: undè idem Senecam damnat, quod Troàdem inscripserit, in qua nihil de Troiâ: sed immeritò;nam sumptum nomen à Patriâ, seu loco.

20. DICO 5. Quia aliquando Titulo unicâ voce assurgente confunderentur Fabulæ, & Dramata, si fortè plura eodem nomine inscribi contingeret; ideò nonnunquam conjungi solent res, & personæ, seu locus, & fiunt Inscriptiones quædam mistæ ad differentiam clarè significandam. Hinc, quia Seneca duas de Hercule conscripsit Tragœdias, uni Herculi furenti, alteri Herculi Oetæo nomen indidit. Sophocles

unam

unam Oedipum Tyrannum, alteram Oedipum Coloneum appellavit. Euripides unam inſcripſit Iphigeniam in Aulide, aliam Iphigeniam in Tauris: ſic ejuſdem prima Tragœdia inſcribitur Aiax Flagellifer, ad differentiam alterius, quam Dicæarchus Mamertinus civis veſter celeberrimus Peripate ticus traditur inſcripſiſſe. Sic etiam veſtris P. Stephani Tuccii drama ſæpius ſpectatum, & ſemper cùm admiratione, nomen habet Chriſtus Judex; quòd ſcilicet nimis univerſale eſſet nomen Chriſtus, nec drama illud ab aliis ſimilibus ſejungeret, quæ de Chriſto naſcente, patiente, redivivo, &c. circumferuntur.

21 DICO 6. Ubi unicum nomen nullam pareret confuſionem, quòd nec Auctor plura dramata de eàdem perſonâ fecerit, nec alia ab aliis de eàdem perſona exarata ſint; vel, ſi extant, idem omninò ſinè ullo diſcrimine proſequantur, non opus eſt nominis diſcrimen addere, nec Tituli voces multiplicare; itaquè peccant Recent ores, qui abſquè ullà prorſus neceſſitate ſic inſcribunt: Joſeph cognitus, Saulus converſus, Abſalon tumens, &c.

Argumentum.

22. DICO: Argumentum, Græcè Periocha, Summam, & Complexionem ſignificat, quâ res òmnes, quæ in Fabulà geruntur, breviter continentur Hujus partis, quæ non eſt admodum neceſſaria, illud erat artificium Antiquis, ut primis Verſuum Literis Fabulæ nomen exprimeretur per Carmen acroſtichon. V. G

TRINUMMUS.

T hesaurum abstrusum abiens peregre Charmides.
R emquè omnem amico Callicli mandat suo:
I stoc absente malè rem perdit filius.
N am, & ædes vendit; has mercatur Callicles,
V irgo indotata soror istius poscitur.
M inus quo cùm invidià ei det dotem Callicles,
M andat qui dicat aurum ferre sese à patre.
U t venit ad ædes, hunc deludit Charmides
S enex ut rediit, cujus nubunt liberi.

Prologus.

23. DICO 1. Prologus est prænarratio quædam Comœdiæ, in qua Poëta sub alienà, vel ipsiusmet personà, rem agendam exponit. Hæc pars dicitur à multis Latinarum duntaxat Comœdiarum præcipua pars: Græci enim illam à totius Comœdiæ corpore minimè distinguebant; quæ quidem pars monoprosopos dici solebat, quod scilicet ab unà tantùm personâ ageretur, excepto Plauti Trinummo, in quo Luxus, & Inopia simul Prologum conflant.

14. DICO 2. Sivè una, sive plures sint Prologi personæ, certum est ad Fabulam non pertinere, nec unquam debere cùm ceteris iterum redire in proscenium. Sed hinc etiam Plautum excipe, qui Amphitruone Mercurio præcipuæ

ejus

ejus Fabulæ personæ Prologi etiam partes dedit. In Tragœdiis tamen non rarò Prologum agit persona primarum partium.

25. DICO 3. Multiplex est Prologus,

Primus Hypotheticus, qui scilicet Fabulæ argumentum merè significat, nec distinguitur à Periochà; hujusmodi est in Aulularià,

Secundus est Commendatitius, seu Systaticus, qui scilicet commendat prætereà Poëtæ consilium in Fabulà efformandà; hujusmodi est in Adelphis, & Hecyrà.

Tertius est Confutatorius, aut Relativus ad alios, seu Anaphoricus, qui vel refellit Adversariorum calumnias, ut in Andrià; vel in eos retòrquet objecta crimina, ut in Eunucho.

Quartus est Mixtus, qui scilicet varia Prologorum genera, miscet; hujusmodi est in Asinarià Plauti.

Quintus est Moralis, seu Ethicus, qui scilicet ad mores pertinet; hujusmodi est Luxus, & Inopia in Trinummo, Arcturus in Rudente, & Lar familiaris in Aularià.

Protasis.

26. DICO 1. *Protasis* est illa pars, in qua Summa rei exponitur, exitus tamen occultus remanet: immò plura ità obscurè, & mutilatè declarantur, ut Auditoris expectationem excitent non expleant. Ad id juvabit nonnunquam Aposiopesis. Sic Fabula crescit jucundius, & Auditorum animus dulcè suspensus hæret amabili quadam impatientià.

27. DICO 2. Protasis torum Actum primum comprehendere solet, & in eo absolvi,

quamvis nonnunquàm ad secundum etiam possit extendi.

Epitasis.

28, DICO: Epitasis est protasis incrementum, in qua scilicet Summa rei, quæ in protasi fuit jam proposita, augetur, resquè involvuntur, implicantur, perturbantur, turbæquè excitatæ intenduntur.

Catastasis.

29. DICO 1. Catastasis est illa pars Fabulæ, in qua, implexo jam totius negotii nodo, major cernitur perturbatio, quàm in Epitasi: ubi curandum, ut nodi involutio clarè quidem appareat, nullum prorsus solutionis lumen effulgeat; sed ad finem usquè Auditorum expectatio eventùs avida deducatur.

30. DICO 2, Catastasis cùm Epitasi secundum ferè, & tertium Actum comprehendunt, nonnunquam quartum, rarò quintum.

Catastrophe.

31. DICO 1. Catastrophe est nodi totius perfecta solutio, in qua exagitatæ rei fit conversio in finem minimè quidem expectatum. Hæc comprehendit partem Actûs quarti, quandoquè totum Actum quartum, & semper integrum quintum.

32. DICO 2. Hîc tandem addi posset EPILOGUS: quemadmodum enim Prologus nihil agit in Fabulà, sed tantùm captat benevolentiam, poscitquè attentionem, ita ultima aliqua persona vel sola, & ab aliis totius Fabulæ diversa, vel aliqua ex ultimà Scenà, aliis etiam astantibus, Comœdiæ finem imponit; Actorum nomine

ne veniam deprecatur, dimittit humaniter Spectatores, plausum efflagitans, & ità Epilogum agit.

INSTRUCTIO III.

Partes Qualitatis.

33. PArtes Qualitatis sunt sex, Fabula nimirùm, Mores, Sententia, Dictio, Apparatus, & Melopœia.

Fabula.

34. DICO 1. Fabula est res cogitata, & inventa, ingeniosequè disposita.

35. DICO 2. Fabula duplex est, Simplex una, Implexa, altera seu Composita. Simplex est, quæ nihil novi, aut inopinati habet: nec Agnitionem, aut Peripetiam continet.

36. Porrò Agnitio est: cùm ex ignoratione alicujus rei, vel personæ in ejusdem cognitionem venimus, unde affectus excitantur: ut si quis agnoscat Patriam, filium, civem, amicum, fratrem, reum, innocentem, hostem, &c. quem talem esse nesciebat: hujusmodi est Asinaria Plauti.

Peripetia est fortunæ mutatio: V. G. Pauperis in divitem, &c

37. Implexa seu Composita Fabula est, quæ vel Agnitionem, vel Peripetiam, vel utramquè complectitur. Primi generis est Hecyra Terentii; secundi generis Miles gloriosus Plauti: tertii

generis, quæ omnibus præſtat, eſt Andria Terentij.

Mores.

38. DICO 1. Mores ſunt, qui Comœdiæ Actoribus effinguntur: circà quos ſervandum primò, ut ſi perſonæ notæ inducantur, tales illis fingamus mores, quales verè habuerint, vel habuiſſe fama ſit.

Secundò, ut ſi perſonæ ſint fictæ, mores illis veriſimiles effingamus pro ætate, ſexu, conditione, &c.

Tertiò, ut conſtanter, & æquabiliter hi mores ſerventur, nec qui E. G. ſemel ridiculus, avarus, timidus prodiit, in eàdem Comœdià gravis, liberalis, animoſus appareat,

39. DICO 2. Juvabit hoc loco legere, quæ de Moribus perſonarum diximus in Arte Rhetoricà.

Sententia, & Dictio.

40 DICO 1. Sententiis quoquè inſpergenda Comœdìa eſt, non quidem heroicis, & grandioribus, aut tragicis, ſed vulgaribus, & in ſermone familiari uſitatis; hujuſmodi ſunt Proverbia, Adagia, &c.

41. DICO 2. Dictio facilis ſit, aperta, pura, elegans, mediocriter polita, quæ ſcopulos declinet duos, tragicam ſcilicet ſublimitatem, & mimicam humilitatem. At ubi opus fuerit, inquit Horatius:

.... &

. . . . & vocem Comœdia tollit,
Iratusquè Chremes tumido delitigat ore.

Apparatus.

42. DICO 1 Apparatus Scenam, Actorumquè habitus complectitur.

Jam tria fuerunt Scenarum genera.

Primum Tragicum, secundum Comicum, tertium Satyricum.

43. Tragica Scena assurgebat columnis, fastigiis, palatiis, turribus, regiisquè signis ornabatur.

44. Comicà primùm è ramis, ac frondibus structa, deinde privatis ædificiis formabatur.

45. Satyrica nemoribus, montibus, ac speluncis.

46. DICO 2. Personarum vestes illarum conditioni de more aptas Comœdia exoptat, quæ tales sint; ut illarum mores quandoquè effingant: Sic apud Veteres Comicos Senibus vestitus erat Candidus, Junioribus Flammeus, Sacerdotibus vestis talaris Alba, Divitibus Purpurea, Pauperibus Punicea; Milites Chlamyde, aut Sago cùm machærâ instructi prodibant: Nuntii Penulati, Matronæ cùm Synthesi, aut Melinis; Servis erat vestis Angusta, Parasitis fusculum Pallium, &c.

47. DICO 3. Solebant etiam Veteres aptam Histrionibus personam fingere: ut Parasitis colorem atrum, juvenisquè ætatem, & potiùs, quàm senis, corpus nitidum, obesum, abdomen præpingue, nasum aduncum, corvinum

tamen, non aquilinum, aures pendulas, & productas, intenta supercilia, &c.

Melopœia, ubi de Intermediis.

48. DICO 1. Melopœia est, quæ Chorum complectitur, salutationem, concentum, machinas, embolia, lusus; quæ omnia post Actum solent à Recentioribus introduci, veteri, mendaciquè Choro sublato, ut suprà diximus. Hanc partem Veteres Mimon, Exodion, hoc est digressionem seu diverticulum, Recentiores Intermedium appellant, quod in eà salibus, jocis, urbanìtate Spectatorum animi, veluti è longà, perpetuàquè vià Fabulæ, aliquantisper devii, relaxentur.

49. DICO 2. Hæc Intermedia debent repræsentari à personis, quæ in Comœdia locum non habent, & res continere à Comœdià sejunctas. Poterunt quandoquè fieri, Veterum more, per Mimos, hoc est per Histriones, solitarià gesticulatione mirum in modum exprimere solitos quidquid referre vellent sine verbis, ac voce.

30. DICO 3. Horum Intermediorum argumenta ridicula peti commodè poterunt è medio foro, è tabernis, angiportis, popinis, &c adeòque Actores habebunt Caupones, Coquos, Fartores, Perductores, Bajulos, Ebrios, Stolidos, Insanos, Surdos, Cæcos, Circulatores, Impostores, Sycophantas, Parasitos, & quidem labeones, frontones, capitones, simos, nasutos, cervicosos, milites prætereà gloriosos, & similes, qui

qui solo aspectu risum extorquent.

51. DICO 4. Si velimus in hujusce Intermediis imitari Veteres, poterimus quandoquò per improvisum exitum rem omnem abrumpere, ità, ut uno decedente, ceteri quoque decedant, etiam re imperfectà. Verum

52. Objicies: hæc Episodia, seu Intermedia, damnantur ab Aristotele: Ergo illis uti neutiquam licet.

53. Respondeo: Aristoteles absolutè non damnat Episodia, sed ea dumtaxat, quæ Fabulam præter modum prolixam reddebant: quæquè ab Actoribus, & Histrionibus non tàm appositè, sed temerè, subitoquè excogitabantur, si fortè videbant nondum impletum clepsydræ tempus præscriptum.

INSTRUCTIO IV.

De Actibus.

54. DICO 1. Prædictæ partes Comœdiæ per Actus, & Scenas distribuuntur. Jam actus, ab actione dictus, est actionis, seu per actæ Fabulæ pars. Undè colliges, non licere pro arbitratu Actum determinare, nisi ubi aliqua pars totius Fabulæ sejungi ab aliis commodè potest per Chorum, vel tibicines, &c.

55. DICO 2. Actus secernitur vel omnibus recedentibus, interjecto Choro, ut Tragœdià; vel interventu novæ personæ, vel argumento ipso, & materia.

56. DICO 3. Actus in Comœdiis quinquè

 (quod

(quod etiam de Tragœdiis intelligendum) nec plures, neque pauciores, præscribit Horatius in Arte Poeticâ;

Nevè, minor quinto, non sit productior Actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

57. Objicies cùm Jacobo Mazonio in Apologiâ Dantis Aligherii. Ex Cicerone colligi videtur tribus etiam Actibus integram Comœdiam confici posse: Tullius enim, scribens ad Quintum fratrem hæc habet [Sic tu in extremâ parte, & conclusione muneris, ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus, tanquam tertius Actus, perfectissimus, atquè ornatissimus fuisse videatur]

Et Veteres, præsertim Græci, Fabulam quandoquè in plures, quandoquè in pauciores ingressus Chori, adeoque Actus distribuerant.

58. Respondent aliqui, tunc Drama comicum appellandum, non rigorosè Comœdiam.

59. Respondent alii, id perperam factum ab Antiquis, deinde castigatum à recentioribus, ut plura Veterum vitia. Equidem ut respondeam,

60. DICO 4. Si quis plures, vel pauciores quandoquè Actus in Fabulâ instituerer, & illam velit Comœdiam, vel Tragœdiam dicere, se Antiquorum auctoritate defendens, damnare non ausim. Cæterùm ego Horatii præceptum sequerer, si rigorosam Comœdiam, vel Tragœdiam velim contexere.

IN-

INSTRUCTIO V.

De Scenis.

61. DICO 1. Actus distribuitur in Scenas. Jam Scena est pars Actûs, in qua una, duæ, tres, quatuor, pluresve personæ loquantur Verum unica persona perrarò, præsertim in Comœdiis admittatur, & breviter loquatur, ne fastidium pariat.

62. Objicies: Horatius damnat in Scenâ plusquam tres personas, ubi ait.

. . . . *ne quarta loqui persona laboret*.

ergò malè à nobis admittuntur in Scenâ plures personæ, quàm tres?

63. Respondeo: Diomedes admittit etiam quatuor, quem numerum Plautus explet in Mercatore, Aristophanes excedit in Ranis; & alibi: Horatius verò solùm præcipit, ut, si quandoquè quarta, vel aliæ suprà tres addantur personæ, hæ non multum loqui laborent, ne fiat confusio.

64. DICO 2. Quoties persona aliqua discedit, vel accedit aliqua, vel omnes mutantur, tunc nova dicitur Scena. Volunt aliqui nullam absolvi debere Scenam (nisi extrema illa sit) per omnium interlocutorum discessum. Sed hoc non video religiosè observatum à Plauto, aliisquè: undè advertendum censeo, ut vel non omnes discedant; vel, si omnes sint discessuri, priusquam illi omninò intrò abeant, Actores Scenę sequentis appareant, ne Scena prorsus vacua relinquatur.

65.

65. DICO 3. Scenæ in quocumquè Actu possunt esse multæ, & quandoquè decem, modo absit prolixitas. Nonnemo ultrà septimam Scenam Actum minimè producendum præcipit.

INSTRUCTIO VI.

Comœdiæ Stylus, Virtutes, & Vitia.

66. DICO 1. Comœdiæ stylus familiaris sit, ut suprà diximus: ille quandoquè solutâ etiam Oratione contentus (sed tunc rigorosa Comœdia non est) passim tamen jambico gaudet Carmine, eoquè ferè semper impuro.

67. DICO 2. Totius Fabulæ actio una sit oportet, non plures; & talis, ut unius diei spatio, vel paulò majore conficj posset (idem dicendum de Tragœdiâ) cujus unitas, ob hanc rationem, magis rigorosa est, quàm Epicæ: Epica enim Poësis multorum etiam annorum spatia potest complecti.

68. DICO 2. Comœdia facetiis, jocis rebus ridiculis, non sinè sale, est condienda.

69. DICO 4, Quæ visu fæda, vel atrocia sunt, tanquam intus peracta narrentur, aut voce ex interiore Scenâ emissa prodantur, si commodè potest. Verum hæc quoquè Recentiores nonnunquam repræsentant in Scenâ ad affectus vehementius commovendos, quod minimè reprehenderim, nisi turpia & obscæna illa sint.

70. DICO 5. Cavendum, ne aliena à Fabulâ, & superflua misceantur. Ideoquè nil contineat tota Comœdia præter rei expositionem, nodi

nodi connexionem, ejusdem solutionem.

71. DICO 6. Aliqui cavendum censent, nè sæpius quam quinquies, eadem persona veniat in proscenium: Sed hanc Legem negligit Davus Andriæ persona. Huic Regulæ alii ad summum in Tragœdiis locum concedunt.

72. DICO 7. Interlocutores plusquam quatuordecim omnes ferè Scriptores e Comœdiâ removent.

73. DICO 8. Curandum alii censent, ut Fabulæ personæ vel nihil, vel ferè nihil loquantur cùm populo & Spectatoribus, nisi fortè ultimæ scenæ Actores Fabulam clauderent, Spectatores dimitterent, & plausum exposcerent.

EXER-

EXERCITATIO IX.

DE

TRAGOEDIA.

PLURA diximus in Comœdiâ ipsi cùm Tragœdiâ communia. Pauca nunc, quæ Tragœdiæ propria sunt aperiemus.

INSTRUCTIO I.

Tragœdiæ Nomen, Definitio, Divisio.

1. DICO 1. Tragœdiam alii primò appellatam volunt παρὰ τ ὑ τρυγετὸ, vel ἀπὸ τῶν τρυγῶν quòd scilicet vindemiæ tempore in Atticâ ab Histrionibus fæcibus, nè agnoscerentur, perunctis tàm Comœdiâ, quàm Tragœdiâ agebatur.

Secundò dicitur, juxta alios, & quidem probabilius, ἀπὸ τȣ τράγου, vel quia hircus Tragœdorum præmium erat, vel quia hircus, vineas lædens, hostia cremabatur, dum agricolæ

lę ſacra Baccho faciebant, cujus ſolas laudes Veterum Tragœdia per dithyrambos primùm continuit.

3 Tertiò alii Tragœdiam dici malunt, quaſi τραχεῖαν ᾠδήν, aſperum ſcilicet cantum, quia res flebiles continet.

4. DICO 2. Tragœdia eſt Poëſis virorum illuſtrium per agentes perſonas exprimens calamitates, ut miſericordiâ, & terrore animos ab illis perturbationibus liberet, à quibus hujuſmodi facinora tragica proficiſcuntur.

5. DICO 3. Tragœdiâ Fabula vel eſt Simplex, vel Complexa, vel Pathetica. Simplex unam actionem complectitur ſinè agnitione, aut peripetiâ: Complexa vel agnitionem, vel peripetiam, vel utramquè habet: Pathetica eſt, quam comitatur pathos, id eſt, quæ habet affectum per cædes, vulnera, ſupplicia, triſteſque exitus excitatum.

INSTRUCTIO II.

Tragœdiæ Artificium.

6. DICO 1. Ut diximus in Comœdiâ, Tragœdiæ artificium ſit etiam per eaſdem ferè partes, mutatâ materiâ, & perſonis, ut patet ex Definitione. Illud tamen adverto, Protaſim Prologi vicem gerere, in qua unus, aut duo colloquentes Fabulam inchoent, magnamquè argumenti partem, non tamen totum, exponant; ità tamen, ut nequè à primis, nequè ab ultimis incipiant.

7. DI-

7. DICO 2. In Epitasi rerum perturbationes, pericula, iræ, minæ, metusque continentur, & crescunt.

Catastasis est status Fabulæ, nodiquè involutio.

8. DICO 3. Catastrophe est argumenti exitus, & mutatio fortunæ, quæ tamen pars, ne quodammodo frigeat, ut in Senecæ Medeâ videtur contingere, solet plerunquè à Recentioribus atrox epitasis præparatio crudeli facinore, vel in Scenâ coram Spectatoribus peracto, terminari.

9. DICO 4. Præcipuæ in Tragœdiâ personæ sunt Reges, Principes, Vates, Sacerdotes &c. Recipit alias etiam humiles cum illis connexas, ubi sic postulet ordo rerum; hujusmodi sunt Servi, Nuntii, Pastores, Nutrices, Satellites &c.

10. DICO 5. Tragœdiæ Actores passim cothurnati prodibant: undè cothurno dignam dicimus rem illustrem: sic quia socco Comici pedes induebantur, rem Socco dignam dicimus humile quid, ac ridiculum.

INSTRUCTIO III.

De Choro.

11. DICO 1. Quolibet Actu terminato, illicò subeant in orchestram, & thymelem personæ choricæ, cùm quibus nonnunquam remanere poterit personarum Scenicarum aliqua, locutura tamen, non cantatura, nisi fortè aliqua præfica sit, quæ circà feretrum unà cùm Choro lugeat.

12. DI-

12. DICO 2. Repudiato Veterum Choro, de quo diximus in Comœdiâ, Recentium Chorus est sivè virorum, sivè mulierem, sivè puerorum, sivè nobilium, sivè rusticorum. ut Fabula exiget.

13. DICO 3. Chori officium est bonis favere, amicis consulere, iras cohibere, Deum laudare, prò miseris preces effundere, diras imprecari superbis; vel, si calamitas solatium omnino respuit; cum lugentibus fletum, ac lamentationes emittere; quod quidem vel canendo, vel loquendo, vel colloquendo, vel unâ omnium voce confusâ fieri potest.

INSTRUCTIO IV.

Tragœdiæ Stylus, Virtutes, & Vitia.

14. DICO 1. Tragœdia jambico gaudet Carmine, & quidem senario, Veterum octonario repudiato. Chorus tamen varias Carminum, etiam Lyricorum, species admittit.

15. Si solutâ Oratione fiat, propriè Poësis non est, adeoquè nec Tragœdia, nec Comœdia rigorosè, sed harum imitatio, & similitudo.

16. DICO 2. Interserunt aliquando Tragici Versum hexametrum, præsertim ubi vel loquuntur Oracula, vel nobile aliquod, aut singulare, Græcos imitati, qui elegiacos etiam Versus nonnunquam interponebant.

17. DICO 3. Tragœdia stylo gaudet sublimi, & gravi, quamvis quandoquè ex industriâ se demittat, ut si loquatur puer, fœmina, humilisve persona; undè Horatius: *Et*

Et tragicus plerunquè dolet sermone pedestri. Elocutionem amat perspicuam, non humilem, non abjectam, sed propriam, verba illustria, lecta, sonantia. Si moderatè translata contineat, iis adornabitur, ut flosculis prata, Sideribus cęlum: voces obsoletas, humiles, triviales omninò respuit.

18. DICO 4. Sententias contineat, quæ, quid sit sequendum, quid fugiendum, in vitâ pronuncient: ab omnibus tamen facilè admissę illæ sint, ingeniosæ, concisæ, nec nimiùm densæ. non ineptæ, non palam falsæ, perplexæ, obscuræ: ænigmaticæ perrarò admittantur.

19. DICO 5. Si nodus aliquis in Tragœdiâ occurrat adeò implexus, ut ab homine explicari nequeat; vel cùm narranda sunt futura, vel prætcrita, & jam omnium oblivione prorsus deleta, vel similia; tunc & Cælites induci poterunt ex aliquâ machinâ: undè ortum Proverbium, Deus ex machinâ. Poterunt prætereà In feri evocari ex hiante, ac deducto tabulato, perinde ac si ex terræ visceribus in scenam prosiliant. Talibus personis Prologi loco Recentiores sæpius uti consuevere.

INSTRUCTIO V.

An liceat in Tragœdia Scenas versatiles instituere.

20. DICO 1. Aliqui, ex Tract. qui Tom. 2. Tragœdiarum P. Hortensii Scammacca, Auctore P. Josepho Spucces, præmittitur, vitium

vitium esse arbitrantur, si Scenæ versatiles sint, quæ scilicet, dato signo, ictu oculi machinis quibusdam invertantur: ajunt enim inverisimile esse, ut sinè divinà ope, aut præstigio ab Urbe in Campum, ab Aulà in Hortum momento transferantur.

21. DICO tamen 2. Hæc innui, ut aliorum opiniones sciretis: cæterùm meum Auditorem ad alios reprehendendos minimè proclivem desidero, cùm præsertim accedat.

22. Primò Recentiorum ferè omnium auctoritas, apud quos hæ Scenarum mutationes maximo sunt in usu, & plausum obtinent incredibilem:

23. Secundò ratio, cur enim non poterit in uno Actu ostendi E. G. Aula Principis imperantis aliquod fieri in campo, aut in horto; & deinde in alio Actu, ubi repræsentandi sunt, qui Principis jussa exequantur campus, vel horti amœnitas demonstrari? Quin immò id magis verisimile videretur: res enim illas, ut flores colligere, venari &c inverisimile est fieri in aulà regia. Cùm igitur in eàdem domo variæ sint habitationes, & sedes, cur non poterit modò una pars domûs, ut aula, modò altera, ut viridarium, lacus porticus &c. repræsentari, ubi id actionis varietas exigit?

24. Atquè hæc de Tragœdia. Quod si prætcrea ejus Inventorem scire desideratis; Aristoteles inventam à Doriensibus in Peloponneso fuisse ait. Alii Glaucum nescio quem, vel Epigenem Sicyonium, vel Thespin Atheniensem Tragœdiæ auctorem prædicant, Tragœdiam

deinde Phrynicus, Æſchylus [qui mulieres in Scenam introduxit] Euripides, Sophocles mirum in modum expoliverunt. Cætera, quę de Tragœdia deſiderari poſſent, ſatis diximus in Comœdia.

EXER-

EXERCITATIO X.

DE TRAGICOMOEDIA,

INSTRUCTIO UNICA,

Quid, sit, & quale ejus Artificium.

I.

DICO 1. Hoc genus Poëseos mistum Tragedia, & Comœdia est: undè, & illustriores, & humiles personas admittit resquè lætas pariter & tristes; Exitum tamen plerunquè amat omnino hilarem, etiam si antecedentes mœrores horridum finem minitati fuerint.

2. DICO 2. Si exitus mœrore carere omninò non possit, quòd V. G mortem vel martyrium contineat, sequantur inexpectatæ letitiæ, ut Angelus, qui beatitatem nuntiet jam possessam, Superûm plausus &c.

3. DICO 3. Stylus medius suprà Comœdiam infrà Tragediam sit. Tandem Legibus iisdem componatur, quibus Tragedia, & Comœdia.

EXER-

EXERCITATIO XI.

DE SILVA.

I.

POEMATA quędam, ut Scaliger ex Quintiliano, subito calore excussa, Silvas dicimus, Silvarum varia sunt genera, de quibus breviter.

INSTRUCTIO I.

DE CARMINE NUPTIALI.

Quid sit, & quotuplex.

1. DICO: Carmen Nuptiale, quod Veteres, à ficto nuptiarum Deo, Hymenæum etiam appellarunt, Carmen est in nuptiali pompâ cani solitum: & quidem.

Quadruplex: Primum canebatur in ipso nuptiarum convivio, Scolion dictum, ut notavimus in Lyrica:

Secundum, remota jam hilaritate Convivii, propè thalamum, id est nuptiale cubiculum, & hoc Epithalamium dicitur.

Tertium, quo res ipsa, id est Historia, describitur.

Quar-

Quartum mistum ex narratione, & Cantu.

Artificium.

3. DICO 1. Nuptialis Carminis Artificium est, exordiri vel primò ex abrupto, aliquo nimirùm affectu vehementi, ut admiratione ob civium congaudentium plausus &c. vel secundò ab ornatu thalami, sponsæ ornamentis, ac vestibus &c. vel tertiò per apostrophem ad personas præsentes: vel quartò ab Invocatione Numinis, Cælitum &c.

4. DICO 2. Deinde Carmen hoc nuptiale Sponsi Sponsæquè desideria, honestosquè amores contineat, mutuamquè benevolentiam: invitet præterea Hymenæum, & Charites ad nuptiarum celebritatem, & ludos, pompæquè strepitum graphicè describat.

5. DICO 3. Præcipua hujusce Carminis pars ad Sponsi Sponsæquè laudes celebrandas insumenda. Jam laudari poterunt à Patriâ, à Genere, à Consanguineis, à rebus gestis, à Bonis Anim, Corporis, Fortunæ. Tandem inter eorum lætitiæ causas varias, spem futuræ prolis adjungat, nec imparis, nec degeneris.

Stylus, Virtutes, & Vitia.

6. DICO 1. Stylum amat festivum ac lepidum, qui tamen suaviter incitatus subitum Poëtici furoris æstum præseferat, non multùm elaboratus: talis enim apparere debet ut silva videatur, Carmen videlicet ferè extempora-

raneum, penè rude, ac deinde diligentiore limà perpoliendum.

7. DICO 2. Decorem nuptiali Carmini conciliabimus, si rem omnem, & laudes aliquo Poëtico figmento adornemus. Itaquè fingere poterimus res illas ære insculptas, Tabulis expressas, vestibus Phrygio opere depictas, auro argentove cęlatas &c.

8. DICO 3 Cavendum, ne quid contineat Carmen, quod Conjuges aut Consanguineos, vel modestiam & verecundiam lædat.

Legite, si placet, Musæum, Catullum, Ovidium, Claudianum, Statium &c.

INSTRUCTIO II.

Carmen Natalitium, seu Genethliacon.

9. DICO 1. Carmen Natalitium, Genethliacum, seu Geniale, est quod in die Natali alicujus canitur.

10. DICO 2. Duplex est, primum quod canitur eo ipso die, quo puer nascitur: secundum quod singulis Annis ad ipsius Natalis memoriam renovandam instituitur.

Artificium.

11. DICO 1. Poterimus quandoque exordiri, profitendo nos magnum quid decantaturos. Tùm Infantis spem, futuræ nimirùm felicitatis, sapientiæ, virtutis vaticinia ducta, vel à Parentum somnis, ostentis, prodigijs, vel ab anni tempestate, mense, die fausto & solemni, vel à Signis cælestibus, & rebus similibus,

su-

subjiciemus: ipsius pulchritudinem admirabimur, & Cælites, ut sicut ortui, ita & vitę faveant, invocabimus.

12. DICO 2. Descendendum prætereà ad Majorum ac Parentum laudes. Deinde illius conditionis homines, ut Milites, Sapientes &c. cujus est, vel futurus puer creditur ad lætitiam gratulatione nostrà excitandi.

13. DICO 3. Puerum ipsum blandè alloquemur, ut munera accipiat, quę ipsius infantię offeruntur.

14. DICO 4. Si verò Carmen quotannis fiat, quoties Natalis recurrit dies, tunc festivitatis pompa, liberalitas, divitiæ, optima pueri educatio, si grandior sit, illustria facinora, magistratus, ingenium, morum suavitas, bonaquè omnia commendanda.

Stylus, Virtutes, & Vitia.

15. DICO 1. Circà stylum nil præcipuum occurrit. Stylus silvæ sit, quem diximus in Epithalamio, & quidem hilaritate plenus atquè lætitiis.

16. DICO 2. Exornari poterit aliquo Poëtico figmento, fingendo in Orbe, Cælo, Silvis, Parnasso plausus, ac lætitias insolitas, vel Figuras adhibendo, ut Apostrophem, admirationem &c.

17. DICO 3. Cavendum, ne, tot inter plausus, pueri conditionem obliviscamur: alia enim exigit lætitiæ signa Pastoris filius, alia Militis, alia Principis, Regis, Imperatoris &c. Si Pastor oritur, greges, armenta, silvę ad plausus invitanda; si Dux, milites; si Princeps, Rex

&c. Subditi; Regna, Provinciæ; & sic de ceteris, pro uniuscujusquè conditione.

INSTRUCTIO III.

CARMEN EUCARISTICON.

Quid sit, & quale ejus Artificium.

18. DICO 1. Carmen Eucaristicum Latinè sonat, Gratiarum Actio: est enim, quo ob acceptum beneficium gratias agimus.

19. DICO 2. Ejus artificium est,

Primò, si nos impares dicamus ad reddendas prò merito gratias:

Secundò, si beneficium amplificemus ab adjunctis, præsertim loci, temporis &c.

Tertiò, si tandem ad gratias agendas redeamus, invitandum etiam ad id alios viros illustriores, Musasquè digniores.

Quartò, Si largitori optemus à Deo quàm plurima munera.

INSTRUCTIO IV.

SOTERIA.

Quid sint, & quale eorum Artificium.

20. DICO 1. Soteria dicebantur munera, seu Carmina missa ob receptam amici salutem, præsertim ob reducem, & servatum civem, exercitum, ducem &c.

21. DI-

21. DICO 2. Hujus Carminis artificium est,

Primò ostendere, Numen precibus jàm indulsisse, impendentia mala avertisse:

Secundò, invitare amicos, cives, urbem, ad lætitias, tristitiâ doloreque fugatis:

Tertiò, amici laudes, res gestas, tùm in illâ, tùm in aliâ, occasione, communem ergà ipsum amorem aperire; indè colligendo, quantum eo perdito jacturæ fecisset Respublica, quantum lucri eo superstite:

22. DICO 3. Conferet ad hujus Carminis ornamentum, si delapsum è cælo auxilium in recuperata corporis valetudine, reportatâ victoriâ &c. poëticè fingamus.

INSTRUCTIO V.

Epibaterion.

23. DICO 1. Prædicto Carmini affine Epibaterium est, quòd etiam Carmen reversionis dicitur, quòd scilicèt cani solitum, cùm amicus, aut vir illustris è longa peregrinatione redux Patriam appelleret.

24. DICO 2. Si cavendum ab aliis, idem ferè artificium est, ac præcedentis. Clauditur tamen hortatione ad Amicum, ne se unquàm è Patriæ sinu divelli patiatur.

25. DICO 3. Si tamen Epibaterion ab ipsâ personâ reduce canendum sit, tunc.

Primò, Cælo gratias agat:

Secundò, cives ob lætitiam, quam in reditu ostendunt, gratiis cumulet:

Tertiò, Urbes ac Regiones, quas peragravit, defcribere poterit:

Quartò dicat, fe de urbe, atquè amicis fæpè, ac fæpius non finè affectu, ac lacrymis cogitafse.

Quintò tandem, vel fe, fuaquè civibus offerens, vel iterùm Numini agens gratias, vel amorem ergà Patriam oftendens, vel alio apto fine Carmen abfolvat.

INSTRUCTIO VI.

CARMEN VOTIVUM.

Quid, & quotuplex fit, & quale eius Artificium.

26. DICO 1. Carmen Votivum eft, quo Deo, vel homini, ad aliquid impetrandum, preces fundimus.

27. DICO 2. Duplex eft: primum, quo precamur, ut bonum aliquod impetremus.

28. DICO 3. Ejus artificium erit,

Primò dicere, ut, quoniam nulla nobis eft alia perfona, in qua fperemus, ipfe benignè annuat precibus noftris, & nobis, licet immeritis, opem ferat:

Secundò precari, ut mala avertat, ne nobifcum, qui pejora quidem mereremur, tot viri innocentes, pueri, fœminæquè patiantur.

Tertiò aliquando ejus clementiam, mifericordiam, benignitatem, per apoftrophem, figuramquè aliam magis idoneam, invocabimus.

INSTRUCTIO VII.

PROPEMTICON.

Quid ſit, & quale ejus Artificium.

29. **D**ICO 1. Propempticon, quod etiam dimiſſivum Carmen, ſeu dimiſſio à nonnullis appellatur, eſt, quo amici diſceſſum comitamur, eiquè proſperum iter auguramur.

30. DICO 2. Ejus artificium hæc omnia continere ſolet, quamvìs non neceſſario eodem ordine, quo à nobis ſubjiciuntur.

Primò, ſignificabimus amicorum ſenſum ob talem diſceſſum, periculorum metus, maturiquè reditùs deſideria, ac ſpes.

Secundò, Deum, Cælites, terræ mariſquè præſides, ut itineri faveant, invocabimus; ad quorum aras nos voti reos promittemus, ſi incolumem amicum ſervaverint, citoquè nobis reducem reſtituerint.

Tertiò, poterimus opportunè digredi, invehiquè contrà primos navigationum, itinerumquè Inventores, celebrando aurea Secula, quando quiſquè in Patriæ felicitatis ſinu beatus conſeneſcebat.

31. DICO 3. Licebit quandoquè res illas ſubnectere, quas in optato loco, amicum felici exitu perfecturum, ominabimur.

Et in fine illum vehementer hortabimur, omnium nomine, ut citò redeat.

INSTRUCTIO VIII.

EPICEDIUM

Quid, & quotuplex ſit, & quale ejus Artificium.

32. DICO 1. Epicedium eſt Carmen continens defuncti laudem cùm quâdam miſeratione.

33. DICO 2. Duplex eſt, primum, quod recitabatur corpore nondum terræ mandato, vel propè rogum; & hæc propriè Nænia dicebatur.

Secundum, quod quotannis ad extincti tumulum canebatur. Nunc, quocunquè Carmen funeris lacrymas continens, Epicedium dicimus; quamvis rigorosè, ut notat P Pontanus, Epicedium dici etiam poſſit ſoluta Oratio in alicujus funere.

34, DICO 3. Illud hujuſce Carminis artificium:

Primò, noſtrum aliorumquè dolores exponemus.

Secundò, in mortem invehentes, ejus cauſſas deteſtabimur.

Tertiò, vel res ipſas inanimes ad luctum invitabimus.

Quartò, defuncti laudes ſubnectemus, alios ad ejus imitationem hortando, nè talium virorum propago in Republicâ omninò perdatur.

Quintò, propinquorum dolorem mitigare cona-

conabimur, illum in beatitatis sinu vitam jàm incepisse immortalem, æternumquè etiam in hac vitâ virtutibus nomen sibi comparasse, significantes.

INSTRUCTIO IX.

CARMEN PARÆNETICUM.

Quid sit, & quale ejus Artificium.

35. DICO 1. Paræneticum, seu Protrepticum Carmen, est, quo aliquem ad virtutem, vel illustre aliquod facinus excitamus.

36. DICO 2. Ejus Artificium est afferre motiva, quibus animus ad virtutis, vel facinoris illius amorem impellatur; utquè facile nostris moveatur Carminibus, nostrum ergà personam quam hortamur, amorem significabimus, cujus benevolentia solitis viis captanda est.

INSTRUCTIO X.

DIRÆ.

Quid sit, & quale earum Artificium.

37. DICO 1 Diras dicere consuevimus Erinnyas Antiqui dixerunt (quo nomine Deas ultrices intelligebant) Carmen, quo Numen in hostium perniciem invocatur.

38. DICO 2. In primis Carmen hoc sit impre-

precationibus plenum contrà personam, cu'us sacrilegium, impiumquè caput, Furiis, Deoquè Ultori devovimus.

Secundò, ejus scelerà exponemus, cui tanta mala imprecamur.

Tertiò, fingere poterimus hominem illum è matris utero, furiarum exceptum manibus, anguibus, prò fasciis adstrictum, ferarum veneno lactis loco enutritum &c.

INSTRUCTIO XI.

PANEGYRICUS.

Nomen, Definitio, Divisio,

39. DICO 1. Panegyris Gręgè significat Concionem, seu populi frequentiam, in qua ab Oratore, vel Poëtâ aliquid recitabatur. Nunc autem Panegyrim dicimus etiam Carmen exornativi generis, quo aliqua persona laudatur. De Oratione suo loco: hîc de Panegyrico Carmine.

40. DICO 2. Duplicis generis est Panegyricum Carmen: primum nihil figmenti continet. Secundum aliquam fictionem habet more Poëtarum.

41. DICO 3. Contexi poterit hoc Carmen vel personam laudando, etiam absque ullâ novâ occasione, vel ex occasione aliquâ, ut, si Victoriam reportâvit, Magistratum iniêrit, vel illustre aliquod facinus domi, bellivè perpetrâvit.

Arti-

Artificium.

42. DICO 1. Rem illam amplificabimus, si aliquam nobis dicendi occasionem præbuerit victoria E. G. triumphus, illustre facinus, initi Magistratûs lætitia, Urbisquè plausus.

Secundò grati animi significatio, ac meritorum ergà nos multitudo subsequetur.

Tertiò deducendæ laudes vel à loco, ubi natus, vel ubi res gestæ, vel à tempore &c.

Quartò laudandus Heros à Genere, Majoribus, Patriâ, Educatione, Indole, & reliquis animi corporisquè dotibus. Præcipuum laudis argumentum, sit, quid ille sapienter, quid liberaliter, quid fortiter, aut fecerit, aut perpessus sit.

43. DICO 2. Ornari solet Panegyricum Carmen invitando Urbes, Regna, Montes, Flumina ad Herois laudes, illaquè effingendo ejus meritum loquentia, atquè admirantia.

Recolite, quæ in Militis Rhetorici Subsidiariis Copiis de Oratione in particulari tradidimus.

EXERCITATIO XII.

DE ANAGRAMMATE.

I.

INTER alios Poëtarum lusus non ultimum locum sibi vendicat Anagramma, cujus originem ad Græcos aliasquè nationes, ab Hebræis transfusam volunt nonnulli: Hebræos enim nominum literarumquè observationi nimiùm deditos fuisse satis constat.

INSTRUCTIO I.

Anagrammatis Nomen, Divisio, Definitio.

2. DICO 1. Anagramma sudoris fortunæquè potiùs, quàm ingenii partus, quodquè ob improbum laborem P. Lebrum Ingenii Tormentum, Hieronymus Genuinus Nominis Metaphrasim appellat, dicitur à verbo Græco, *ἀναγραφειν*, quod Latinè sonat Transcribere, ac Transformare.

3. DICO 3. Duplex est Anagramma, Literale scilicet, & Numerale seu Arithmethicum.

Pri-

Primum circà literas, secundum circà numeros versatur. Hìc de Literali, quod absolutè venit Anagrammatis nomine, deinde de Numerali.

4. DICO 3. Anagramma sic definiri potest: Clausula, quæ ex alicujus vocis literarum omnium transpositione consurgit.

5. Dixi, Transpositione; nisi enim Literæ trasponantur; sed nihil, vel ferè nihil variatæ, solùm resolvantur, Anagramma non est: ut, si quis dicat, prò Dominus, Do-minus; vel prò, Erasmus, Eras-mus; vel prò, Tertullianus, Tertullianus; vel prò, Messana, Me-sanas.

6. Dixi prætereà, Literarum omnium: Autores enim, magis severi omnes prorsùs Literas invertendas præscribunt in Anagrammate. Equidem tamen, illustrium Anagrammatistarum exemplo, si aliqua Syllaba immutata relinqueretur, damnare Anagramma non ausim.

7. Ubi notandum, quòd si talis sit transpositio, & inversio, ut Literæ omnes inverso, seu retro rado scribantur ordine, maximè laudandum erit Anagramma, ut tritum illud: Roma, Amor.

INSTRUCTIO II.

Anagrammatis Literalis Artificium.

8. DICO 1. Anagrammatis radix esse solet Nomen, vel Cognomen, vel utrunque. Additur quandoquè Patria, dignitas, officium, vel insignis aliqua personæ prærogativa, ut: Dux, Princeps, Rex &c. Sed quò minus additur, eò me-

melius est Anagramma: alia enim, præter nomen, & cognomen, sæpè videntur esse quædam fulcimenta, undè nonnulli Anagrammata nullius pretii erunt: ità enim quandoquè accidit, ut personæ nomen, vix ullam in eo efformando partem habeat.

9. DICO 2. Anagramma Carmine solutum exponi potest; potest etiam Versibus alligari, præsertim cùm non est ità clarum, & expressivum; & tunc Anagrammatis voces majusculo charactere, vel ab aliis diverso, efformetur, ut ab aliis facilè secerni posint. Jam hujusmodi Epigrammata satis suam habent clausulam, si vim Anagrammatis lepidè venusteque explicent; si tamen præterea alia addatur argutia, Epigramma fiet venustissimum.

10. DICO 3. Aliqui in Anagrammate compendiarias notas admittunt; alii cùm Hieronymo Genuino severe prohibent: ipsosquè numeros per singulas Literas inscribendos præcipiunt: ut, Decimus. non, X &c.

11. DICO 4. Equidem, more nostro, mediam viam in eo, compendiarias notas non omnes approbo, sed nec omninò omnès recuso; si enim illę sint nimis usitatæ, & apud omnes, etiam rudes, satis notæ, non poterunt radix esse Anagrammatis ut D, prò Don; S, prò Sanctus; & similes?

12. DICO 5. Aspiratio, quam, H, dicimus, cùm propriè Litera non sit, potest in Anagrammate addi vel tolli, si in radice desideretur, vel supersit.

13. Potest etiam absquè ullo vitio Diphthongus,

gus, Æ, vel OE, omninò auferri, & in simplicem Literam, E, inverti; vel in duas Literas, scilicet A, & E, transformari, vel vice versâ. Sic etiam Græcorum Y, in I, vel contrà.

14. Nullius insuper momenti illa mutatio existimatur, quæ vocis sonum non alterat.

INSTRUCTIO III.

Stylus, Virtutes, & Vitia,

15. DICO 1. Virtus Anagrammatis est Integritas, Brevitas, Claritas, Aptitudo: si nimirum integrum Anagramma integræ radici respondeat ità ut nequè redundans, nec mancum sit; si è paucioribus verbis deducatur: si non obscurum, & penè ænigmaticum: & si rei laudandæ vel vituperandæ aptam laudem vel vituperationem contineat.

16. DICO 2. Lepidè & venustè explicatur quandoquè Anagramma Carmine acrosticho, vel telosticho, ità, ut primæ, vel postremæ, vel utræque Versuum Literæ Anagrammatis voces efforment; vel primæ Anagrammatis radicem postremæ ipsum Anagramma contineant.

17. DICO 3. Vitium anagrammatis est, si plures Literæ addantur, desint, vel mutentur: si tamen unica Litera mutetur in aliam, vel una ex voce, undè illud deducitur, supersit, vel una desit; tunc impurum quidem Anagramma dicetur, at non ideò absolutè malum & reprehendendum; cùm hujusmodi impuris Anagram-

grammatis utantur etiam Autores non contemnendi; Adeoquè non est, cur nobis hæc eadem licentia denegetur.

18. DICO 4. Cùm Anagramma aliquod impurum sit, in quo nimirùm aliqua Litera mutatur, licentia ipsa in maximum ornamentum converti poterit, si argutia fiat, vel jocus aliquis circà ipsam Literæ mutationem. Sic lusit ille in laudem Clementis IX. Pontificis Maximi.

Rospiliosus,

Anagramma.

Sidus Oloris.

Mutato P, in D.

DA, Petre, Clementi Claves: Clementia regnat.
ROSPILIOSUS enim SIDUS OLORIS erit.
Nomen id omen habet: nam P, cum vertitur in D,
Pondera vult populi Demere, non Premere.

INSTRUCTIO IV.

De Anagrammate Numerali.

19. DICO 1. Hoc Anagrammatis genus minoris æstimatur; cum omne Anagramma Literale, Numerale etiam sit, non tamen vice

vice versâ, omne Numerale sit Literale, diversæ enim literæ numerum eundem possunt conficere.

20. DICO 2. Hoc tamen Anagramma apud Veterum superstitionem, vim magnam, & quasi quoddam cabalisticum fatum obtinuit: ideò ut ipsi, duos homines inter se comparando, illum majoris roboris ac virtutis existimarint, cujus nomen majorem numerum absolvisset; & ob hanc nominis fatalitatem, Patroclum cessisse Hectori, Hectorem verò Achilli.

21. DICO 3. Numerale, seu Aritmeticum Anagramma est, cùm numeri, qui ex unâ, vel pluribus vocibus consurgunt, respondent numeris alius, vel aliarum plurium vocum: ità ut, si radix Anagrammatis E. G. numerum centenarium absolvebat, eundem numerum expleat Anagramma ipsum.

Artificium.

22. DICO 4. Ut duplex est Anagramma hoc, ità duplex esse potest ejus artificium: primum quo illarum tantùm literarum numeri computantur, quæ numerum Romanum indicant: hujusmodi sunt:

I.	1.	X.	10.	C.	100.	M.	1000.
V.	5.	L.	50.	D.	500.		

23. DICO 5. Secundum Anagrammatis Numeralis genus est, quò omnium literarum numeri computantur, ut in subcriptâ tabellâ:

A.

A.	1.	G.	7.	N.	40.	T.	100.
B.	2.	H.	8.	O.	50.	V.	200.
C.	3.	I.	9.	P.	60.	X.	300.
D.	4.	K.	10.	Q.	70.	Y.	400.
E.	5.	L.	20.	R.	80.	Z.	500.
F.	6.	M.	30.	S.	90.		

INSRTUCTIO V.

Anag rammatis Literalis Exempla cùm Epigramate.

Anagramma.

24. SAnctus Joannes Baptista Prçcursor: Nasceris, ac natus ô probus antra petis.

Aliud.

Martinus Luterus,

Ter Matris Vulnus.

ET ferro, & linguâ, & calamo, fera vipera Luter.
Ecclesiæ matris TER grave VULNUS erit.

Aliud

Aliud.

Aloyſius.

Anagramma impurum.

Solis Avis.

DUm mentis levibus Gonzaga attollitur alis.
Fixaque in æterno lumina Sole tenet,
Mirantur Superi, errantem per Sidera Ephebum
Divini Solis mente bibiſſe jubar.
Quid mirum, ò Superi immotis radiantia ocellis
Si ſpectet Solis lumina SOLIS AVIS?

Quod quidem Anagramma pretium habet majus, ſi fortaſſe Autor ad gentilitiam Gonzagæ Familiæ Aquilam voluerit alludere: quodquè purum reddere poſſet ſolum Chriſti Vicarius P. M. ſi Beatum, Sanctorum numero adſcribens, S, quæ defuit, adderet.

Aliud.

De P. Henrico Garnieto Soc JESU, cujus ab Hæreticis occiſi Sanguinis Immaginem ejusdem expreſſit Spicâ.

Pater Henricus Garnietus.

Anagramma purum.

Pingere Cruentus Ariſta.

QUid petit hic vultus, ſiccâ redivivus Ariſtâ?
Quid frons, quid ſacris ora locuta notis?

Nomi-

Nominis augurio PINGERE CRUENTUS ARISTA,
Garniete: agnoſco vultum, opus, artificem.
Spica tabella: Deus pictor: color unda cruoris:
Spica crucem, vultum dat Deus, aſtra cruor.

Catharina Virgo.

Anagramma impurum.

In hac Rotâ vigor.

ADde manus in vincla meas, violente Satelles,
Fataleſquè rotas in mea damna para.
Non ego tergeminæ caput obiectare Chimæræ,
Nec metuo flammas, trinacris Ætna, tuas.
Maſcula me virtus munit, roburque virile.
Et procul à noſtro pectore terror abeſt.
Quod, ſi, quem genuit tellus, genitrice vigorem
Preſsâ hauſit, mihi IN HAC viſquè,
VIGORquè ROTA eſt.

Anagrammatis Literalis Exempla nonnulla ſine Epigrammate.

25. CElebre eſt Anagramma Grçcum in laudem Ptolemæi Regis, ſuæquè uxoris, quorum unus dicendi ſuavitate, altera oris venuſtate fuit illuſtris.

ἀπὸ μέλιτος. *Anagramma.* πτολεμαῖος.
quòd dulcis ut mel dicebatur.

ἀρσινόη. *Anagr.* ἥρας ἴον.

quòd

quòd Græcè Veris florem pulcherrimum,
Junonis nimirùm Violam, sonat.

Aliud.

Cùm Gustavus Sueciæ Rex ad Cæsaris imperium anhelaret, sic illi quidam blanditus est, sed Poëtico, non Prophetico, omine:

GUSTAVUS. Anagr. AUGUSTUS.

Aliud.

Pater Æternus, Verbum, & Spiritus Sanctus.
Semper Beatus, ac, ut Unus, pariter est Trinus.

Aliud.

Sacra Eucharistia.
Cara JESU Charitas.

Aliud.

Eucharistia.
Vis theriaca.

Aliud.

S. Sacramentum Eucharistiæ.
Sacra Ceres in JESUM mutata.

Aliud.

MARIA Virgo.
Mira Virago.

Aliud.

Conceptio Sanctissima MARIÆ.
Mira satis, ac sinè omni peccato.

Aliud.

Omnes in Adam peccaverunt.
Peccamus, una DEI Mater Non.

Aliud.

Divus Angelus noster Custos.
Tu ducis nos gnavus, & solers.

Aliud.

Simon Petrus.
En sto primus.

Aliud.

Aliud.

S. Ignatius de Loyola.
O Ignis à Deo illatus.

Aliud.

Divus Marcus Evangelista.
Sum ad curas Venetas vigil.

Aliud.

Sancta Lucia Virgo
Unica oculis grata.

Aliud.

Divus Alexius.
Exul diu à suis.

Aliud.

Sanctus Dominicus.
Canis Mundi Custos.

Aliud.

MARIA Magdalena.
Grandia mala mea.

Aliud.

Stefano Protomartire.
Santo morto frà pietre,

Aliud.

Anagramma P. Eusebii Nierembergii Soc. JESU ad Alexandrum VII. P. M. & satis mysticum, Literis constans prò numero Discipulorum Christi, & Collegii Cardinalitii conspiraturi prò exaltatione Deiparæ, in obsequium Sanctissimi Domini Alexandri Septimi, qui fuit Quartus Papa Senensis, post Alexandrum Tertium, juxtà Spondanum ad annum 1159. Item ad annum 1458. atquè ad annum 1503.

Sanctissimus Pater, & Dominus Alexander Papa

Septi-

Septimus qui erat anteà Fabius Chiſius.

Anagramma.

Quartus è Senis Papa, Dei Matri Chariſſimus, ipſi labem
Adæ non fuiſſe ſtatuet. Tunc pax.

Aliud.

DONNA, Latinè Mulier. DANNO, Latinè Damnum. unde cecinit ille:
DANNO, dire volea, chi diſſe DONNA

Quidam ingenioſus Scholaſticus è noſtrâ Societate jàm jàm Theologicum revocandus ad examen ità ſuum timorem expreſſit:

Examen ANAGR. Nex Mea.

Aliud.

Sancta Catharina de Senis Virgo.
Chriſto jugata; ac ſanè inardens.

Aliud.

Laudator.
Adulator.

Aliud.

In Sepulchro Caroli Quinti prò Epitaphio.

Carlo Auſtria Imperador Quinto.
Quà posa'l raro vincitor di Marte.

INSTRVCTIO VI.

Anagrammatis Numeralis, ſeu Arithmetici Exempla.

Solis numeris Romanis.

26. JEſUs. 6. VIa. 6. VerItas. 6. VIta 6.

Aliud

Aliud.

Romæ in quodam Sacello ità legitur

Mors aD CæLos Iter.

ubi Annus M. DC. LI. exprimitur, quo opus illud extructum.

Omnibus literis numeratis.

JESUS 394. DEUS es 394.

27. Quidam olim sequenti Anagrammate fœminæ illustri blanditus est, quæ vocabatur, Maria Anodea, in cujus nomine ille cognomen invenit, aptumque Anagramma efformavit sic:

Maria 121. Ano Deam 121.

Aliud impurum,

Illud, quod de Deiparâ circumfertur, optimum esset, nisi in Puritatis Reginam unius numeri vitio impurum esset:

MARIA 121. DEI Regia 120.

MARIA enim numerum explet 121.

DEI Regia 120. Posset aliquo modo accomodari, si dicatur.

A DEI Regia 121.

Sed mihi supra modum illud arridet, quo quis lusit in puellam nomine MARIAM, quæ ipso nuptiali die Mis inventa est:

MARIA 121. Mis 121.

Optimum etiam est illud, quo Martinum Lutherum Apocalypseos Bestiam fuisse passim ostendunt, in cujus nomine numerum sexcentesimum sexagesimum sextum inveniendum Divus Ioannes prædixerat.

Martin Lauter. 666.

EXER-

EXERCITATIO XIII.

DE ECONE.

1.

ECHO etiam è Parnaſſi collibus nata, Vatum cantibus gratiam, leporemquè conciliat. Vacuis auribus ejus tractationem accipite.

INSTRUCTIO I.

Quid ſit Echo, & quale ejus Artificium.

2. DICO 1. Echo eſt, cùm in fine, vel medio Carminis repetitur vel extrema pars, [quod quidem melius eſt] vel tota vox præcedens, ut, vel res, quæ priùs dicta fuerat, confirmetur, vel ei contradicatur, vel aliud indè deducatur, vel futura prænuncietur: Syllabam enim abſquè ullâ ſignificatione repetere ineptum eſſet.

3. DICO 2. In Omni ferè Carminum genere Echo locum habere poteſt, cujuſcunquè materiæ, atquè argumenti illud ſit: & ponitur in fine, vel aliâ Carminis parte: ubi tamen in fine ponitur, poterit quandoquè ità adhiberi, ut ad Carminis integritatem non ſpectet, ſed omninò redundet.

4. DICO 3. Poterit nonnunquam Echo una alteri respondere; quod quidem lepidum erit, & verisimile: in multis enim locis accidit, ut etiam septenæ vocis imagines respondeant: sic fiet V. G Implorare, plorare, orare, are, re &c. Instauro, tauro, auro uro &c.

5. DICO 4. Dupliciter exponi potest Echo: primò per Narrationem, ità nimirùm, ut Poëta sua identidem verba interponat, & narret Echonem alicui respondisse: Secundò ità, ut Echo respondens inducatur, nec Poëta sua verba intersetat. Utroq; genere utuntur probati Scriptores, sed secundum melius existimatur.

INSTRUCTIO II.

Virtutes, ac Vitia.

6. DICO 1. Non debet post quamlibet vocem Echo efformari, collocarique, sed cùm aliquid significat opportunum, & ubi sensus absolvitur. Elegantior putatur, quæ sine longiore dilatione crebriùs adhibetur, & non multùm interrupta, quæque non vocem integram repetit, sed ejus partem. Minoris pretii est vocem repetere simplicem, solâ Propositione relictâ, undè componebatur: V. G. Peramo, amo; Perlego, lego &c.

7. DICO 2. Placet Echo in vocibus polysyllabis, & magìs quidem in dissyllabis, quàm trisyllabis. In monosyllabis verò, vel nunquam, vel raro adhibenda.

8. DICO 3. Mutationes illæ, quæ vocis sonum

num non alterant [ut diximus etiam in Anagrammate] Echonis elegantiæ non officiunt: ut Y in, I; Æ, OE in, E &c. vel contrâ Aspiratio potest relinqui, vel addi: & quantitas Syllabæ immutari V. G pyra, ira; limen, hymen; habeas; abeas; Ptolomæa, mea; à rabie, Arabiæ &c.

9. DICO 4. Contendit nonnemo, nullam rationem Consonantium habendam esse in Echone: undè, ait, dum modò perseverent eædem Vocales, si Echo Consonantes immutet, minimè vitio vertendum. V. G jacet, tacet; Patronum bonum; Ullus, nullus &c.

10. DICO 5 More nostro, hìc etiam mediam inire viam placet, permitterem igitur Consonantem mutare, quæ postremas Echonis Syllabas omninò immutatas antecedit; eo prorsùs modo, quò in Italico, Siculoquè Carmine unius Versûs finis alteri respondet: ut lympha, Nimpha: tacet; jacet; patronum, bonum; crudelis, chelys; ullus, nullus &c. Cæterum mutare etiam medias Consonantes in postremis Syllabis videtur ab Echonis naturâ omninò abhorrens:

11. Quamvìs ætate adhuc rudi, Veteribus in usu fuerit, etiam in Hetruci, Siculique Carminis desinentia, quam, Rima, dicimus, Consonantes variare, V. G mani, chiamari.

INSTRUCTIO III.

EXEMPLA

Pastoris Bethlemitæ, ex Toscano.

12. HÆc Bethlemitæ Pastoris verba referre
Audita est Echo, quæ juga montis habet.
Quis natus? dixit, Natus. Patrisne Judæi?
Illa, Dei. Verusnè est homo? dixit, Homo.
Atque hic Idem: nonne Deus remanet? Manet. Est ne.
Ut Pater, Omnipotens? rettulit illa, Potens.
Hunc quid de cælis duxit? Lis duxit. At istam
Dic utrùm vincet? Vincet, & ipsa refert.
Litis erat radix longæva? Eva. An Mala? Mala.
Anne gula hoc potuit? illa refert, Potuit.
An puer hic fiet magnus? quæ reddidit, Agnus.
Ipse ait hoc? Ait hoc. Cur ita clamat? Amat.
Is majus nostro numquid dare possit amori?
Reddidit illa nihil, quàm gemebunda. Mori.
Hoc faciet? Faciet. Moriens? Oriens. DEUS ille?
Hæc, Ille. Est forsan causa tua? Ausa tua,
Diligere hunc ergò par est super omnia Christum.
Istum. Nonne DEUM? dixit, Eum: & tacuit

Aliud de Pace, & P. Pont.

DIc mihi, quæ densis habitas in vallibus Echo,
Cur

Cur populus pacem ſic modo clamat? Amat.
Ad divam pacem precibus concurritur, Itur.
Ut damnum fugiat triſte colonus? Onus.
Ruſticus ergò iterum campos reparabit? Arabit,
Et tutò curret remige navita? Ità.
Omniaquè evenient in Mundo proſpera? Spera.
Longaquè nec rerum copia deêrit? Erit.

Aliud. Signa veri Amici.

EChone Veri amici habemus indicem;
Amore, more, ore, & re Amicus noſcitur.

Uberem Echonis farraginem habetis in fine Parnaſsi Poëtici.

EXERCITATIO XIV.

DE EPITAPHIO.

INSTRUCTIO I.

Quid sit Epitaphium, & Quotuplex.

I.

DICO 1. Epitaphium, ut hîc accipitur, sic dictum à verbo Græco ἐπιτάφιον, quod sonat, Ad, vel Super tumulum, est Inscriptio metro, sive solutâ Oratione composita, quæ inscribi possit defunctorum sepulchro, sivè tumulo. In illo nomen plerunquè ætas, merita, status, dignitas, animi, corporisquè laudes, mortis genus, & similia, sæpè cùm commiseratione, ingentiquè animi dolore, breviter indicantur.

2. DICO 2. Dividi potest Epitaphium in Simplex & Figuratum, seu Compositum.

3. Simplex est, quod jejunè rem exponit sinè acumine, & figurâ:

4. Compositum. seu Figuratum, quod argutias, & Figuras admittit. De hoc secundo agemus. Interim sint.

SIM-

SIMPLICIS EPITAPHII

Exempla.

REfert de Alexandro Plutarchus, in ejus sepulcro depictas fuisse Africam, & Europam cùm aliis Mundi partibus, quas subjugârat, hoc brevi, sed laudis pleno, Epitaphio:

Alexandri Victoria.

Rex Cypri monumento insculpi jusserat hęc

Hic jacet Persarum debellator.

Themistoclis Epitaphium fuit pictura gestorum, cùm hac Epigraphe:

Memoranda facta Themistoclis.

Ab Hebræis sepulchro Josuæ inscriptum:

Sol contrà Gabaon ne moveare.

In Virgilii Tumulo.

MAntua me genuit, Siculi rapuére: tenet nunc
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

Aliud.

QUi Silvas, & agros, qui prælia Versibus ornat,
Mole sub hac situs est ecce Poëta Maro.

5. DICO 3. Dividi etiam potest Epitaphiũ in Serium. & Ridiculum. Serium vel est Historicum, vel Commendatitium, vel Satyricum. Historicum simpliciter enarrat, Commendati-

tium laudat; Satyricum carpit; Ridiculum verò, & Jocosum defuncti personam irridens jocatur.

INSTRUCTIO II.

Historici, & Commendatitii Epitaphii Artificium.

6. DICO 1. Epitaphii Artificium erit, si ea, quæ in definitione diximus, complectatur. Leges prætereà, quas de formando Epicedio tradidimus, facilè huc revocari poterunt.

7. DICO 2. Si Epitaphium solutâ Oratione fiat, Inscriptionis, Elogijquè est species, ejusdemquè sortitur leges: si metro adstringatur, Epigrammatis Regulis subjacet, ejusdemquè admittit Figuras, stylum, atquè ornamenta. Aliquid nihilominus Epitaphii proprium hoc loco tradendum est.

8. DICO 3. Addi quandoquè solet in Epitaphii fine annus, mensis, dies, ætas, qua quis ad plures excesserit.

Sed nonnihil accipite de Epitaphio magis distinctè.

Epitaphium Christi, atquè Hominum Sanctimonia illustrium.

9. DICO 4. Laude, & plausibus potiùs, quàm fletibus, & suspiriis perstrepat: omnequè styli ornamentum, atquè argutiam habeat: solùm dolere poterit ob terrarum Orbem tanto dolore viduatum. *Re-*

Regum, & Principum.

10. DICO 5. Regum, Principum &c. Epitaphia gravitatem, majestatemquè acumini mistam redoleant. Procul nimia teneritudo, & commiseratio. Laudum segetem præbeat fortuna in regendo, felicitas in bellando, clementia in condonando, pietas in orthodoxâ Religione dilatanda, similesquè Virtutes heroicæ.

Literatorum.

11. DICO 6. Laus, cuiquè propria, adscribenda hominibus Literatis, prò Scientiarum varietate, quibus quisquè fuerit conspicuus: Poterunt nonnunquàm Philosophia V. G. Mathematica, Rhetorica, Musæ &c. ad personæ emortuæ tumulum loquentes induci, vel ad lacrymas invitari.

Propinquorum.

12. DICO 7. Consanguineorum, affiniumquè Epitaphia, præsertim verò parentum, & liberorum, lacrymis potiùs, quàm ingenii venâ redundent.

13. Porrò Pater, & mater laudari poterunt ab optima filiorum educatione, domûs gubernatione, & custodiâ.

14. Liberi, præcipuè pueri, florum more intempestivè recisi, deflendi ab irritâ parentum

atquè Reipublicæ ſpe, à vitæ brevitate, à mortis inclementiâ, ſi præſertim fuerit repentina, aut violenter illata. Poterimus Viatorem ad puerorum ſepulchrum floribus conſpergendum hortari, &c.

Amicorum.

15. DICO 8. Epitaphium, Amicorum tumulo inſcriptum, amorem, ac benevolentiam exprimat ſingularem, vehementiorem affectum, querelas in mortem, noſtræquè vitæ jàm dimidiatæ faſtidium.

Rerum Inanimatarum, vel Mentis expertium.

16. DICO 9. His rebus conficitur quandoquè Epitaphium, quo noſtrum ergà illos amorem, earumquè dotes amore dignas amanti quodam dolore exprimamus.

INSTRVCTIO III.

EXEMPLA.

17. TRia inprimis addam exempla: primum ſtylo gravi, abſquè ullâ commiſeratione; alterum laude; tertium amore, ac dolore plenum.

Epi-

Epitaphium Caroli Quinti, ex Capilupo.

EUropæ domuit tollentes cornua Reges
Carolus; atquè Asiæ terror, & horror erat.
Et pedibus Libyam calcavit victor, & illi
Innumeras victus præbuit Indus opes.
Deînde sibi frænum injecit; fratriquè regendum
Imperium, & grato cetera regna dedit.
Atquè ait: è nobis & honores temnere, & unum hoc
Discite mortales: pulvis, & umbra sumus.

Epitaphium Guidi Rheni Pictoris insignis, Ex P. Barg.

DEfluite in lacrymas, & in umbras ite, colores.
Et tabulæ, & telæ jàm sua fata gemant
Scilicet occubuit, qui vos animare valebat.
Et veros muto fingere in ore sonos.
Artem pingendi posthac nequære, Viator
Cùm Guido hîc Rheno nam tumulata jacet.

Epitaphium Crispi Amici.

ABlatus mihi Crispus est, Viator,
Pro quo, si pretium dari liceret,
Nostros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit,
Crispus, præsidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ. Nihil sinè illo

Lætum mens mea jàm putavit esse.
Consumptus malè, debilisquè vivam:
Plusquam dimidium mei recessit.

ALIA EXEMPLA.

Tabellarii Epitaphium.

SEmpre correi con istancabil corso,
Ma nel più bel del correr ecco, ahi lasso!
Ch' urtando à precipizio in questo sasso,
In un punto finii corso, e discorso.

Pictoris Epitaphium.

IO fui Pittor, che, per destin severo,
Mentre al vivo pingei pallida Morte;
Diventarono a me le guance smorte.
E colorendo il finto, urtai nel vero.

Canis Epitaphium.

IO giaccio qui rinchiuso in piccol sasso
Veltro veloce più di Tigre, ò vento.
Il tempo camminando a passo a passo,
Benche vecchio, mi colse, e restai spento.

Strenui Militis Epitaphium

Paronomasiâ ferè perpetuâ contextum.

Aiace qui giace ristretto,
Astretto dal Fato

Cadde

Cadde inerme in un fatto d' arme.
Fù invitto, e bravo,
Di vita breve.
L' invito d' una Tromba l' invitò
alla Tomba.
O tu, che passi per questa fratta,
Affretta i passi,
Perche
Trà le dimore si muore.

INSTRUCTIO IV.

Epitaphii Satyrici, & Ridiculi Artificium.

18. DICO 1. Satyrico Epitaphio invehi poterimus in famosos, scelestos, proditores, hæreticos, & similes. Jâm illud scommatis, acùleis, jocisvè pungentibus, acribusquè refertum sit.

19. DICO 2. Ridiculum Epitaphium jocatur in homines maximè agrestes, nullius ingenii, parvi vel pravi corporis, in avaros, scurras, latrones, ebrios, & similes: adeoquè facetiis, equivocis, salibus, omniquè jocorum genere scateat.

EXEMPLA.

Uxori non gratæ Maritus ponit Epitaphium.

Hic uxor jacet, O factum bene! Uterque quiescit: Illa

Illa quiescit humi, dùm requiesco domi.
Uxor io jacet hìc: utrique est meta laborum:
Illi non major, quàm mihi parta quies.

Tritum Epitaphium in Mordacem.

QUì giace l' Aretin poeta tosco,
Che d' ogn' un disse male, fuor che di Dio,
Scusandosi con dir non lo conosco.

In Judam Proditorem.

Judas Iscariores,
Apostatarum Antistes,
Idolatra Auri,
Christum sequutus spe rapaci,
Miraculis ejus abusurus ad questum
Gratis beneficium vendidit,
Parvo pretio, ingenti flagitio.
Mox pertæsus facti nec pœnitens,
Pietate impius.
Scelus addit in Scelus:
Reste suspensus
Ulciscitur, facitquè nefas:
Crumenæ pondere
Disruptus, abreptusquè ad tartara
Dolet, & angitur hoc busto;
Quòd cælum, animorumquè Magistrum
Parricida sordidus vili vendiderit
Anno salutis humanæ XXXIII.

Epita-

Epitaphium cujusdam nucis trunco occisi brumali tempore.

QUem nive nocte peto, nucis is me stipite cedit:
Sic mihi nix, nox, nux nex fuit antè diem.

Epitaphium militis non impigri.

QUi giace Frosino Soldato, huomo da bene,
Che con la spada sua non fe mai sangue

Epitaphium vetustissimi cujusdam Nasonis.

COnditur hoc tumulo Nasonum maximus Orbem
Flere decet; nil non, hoc pereunte, perit.
Hic poterat vel more tubæ fera bella ciere
Scindere vel Patriam vomeris instar humum.
Non alium fornax optasse(lemnia follem.
Nec magis incudi malleus aptus erit.
Arcuit hic Solis radios, & præbuit umbram.
Hoc Dominus pluvio tutus ab imbre fuit.
Victa mero quoties tradebat lumina somno,
Huic pulvinari colla ferenda dedit.
Celtiber. hæc poterat coluisse cuniculus antra.
Hìc poterat cæcos figere talpa lares.
Nil naso, nil par Nasoni, protulit Orbis,
Omnia nasus erat, Naso sed ipse nihil.

Epita-

Epitaphium Ridiculum.

in tumulo cujusdam Pituita occisi.

PEr Catarro già morto, e avvolto in straccio
Io stò sputando ancor dentro d' un sasso,
Parti di quà Lettor, e affretta il passo:
Se non vuoi, ch' io ti sputi nel mostaccio.

Capri Epitaphium.

FUi Capro, che morii seguendo il gregge:
Al Pastore lasciai la pelle, e l' ossa:
Le Corna se le prende quel, che legge.

Sed illud, ut omnium brevissimum, ita & lepidissimum, quod quidam incîdi jussit in Nochi cujusdam funere:

Tu-Mulus.

INSTRUCTIO V.

Compendiariæ Epitaphiorum Notæ.

20. PLaceat nonnullas ex Compendiariis notis subnectere, quibus Veteres, vel Ethnici, vel Catholici, nec non Recentiores in Epitaphiorum lapidibus uti soliti

Ethnici.

I. O. M. Jovi Optimo Maximo.
O. M. T. Optimo Maximo Tonanti.
D. M. S. Diis Manibus Sacrum.
DIV. M. Divæ Memoriæ.

Chri-

Christiani.

D. O. M Deo Optimo Maximo.
D. O. Æ. Deo Optimo Æterno.
B. M. Beatæ Memoriæ.
IMMOR. Immortalitatis.

In fine.

D. D. D. Dat. Dicat. Dedicat.
P. Posuit.
P. P. Posuerunt.
D. P. Donum Posuit.
D. S. P. De suo Posuit, vel De suâ Pecuniâ.
D. S. B. M. De Se Benè Merito.
B. M. F. C. Benè Morienti faciendum Curavit.
D. D. C. Dat Dicat Consecrat.
D. D. S. Q. Dat Dicat Sacratquè
S. V. T. L. Sit Vobis Terra Levis.
VIX. A. D. M. Q. D. Q. Vixit Annos Decem, Menses Quinque, Dies Quinque.
Ob. Pr. Kal. &c. Obiit Pridie Kalendas &c.
A. M. Anno Mundi.
A. U. C. Ab Urbe Conditâ.
A. P. V. A Partu, vel Puerperio Virginis.
A. O. R. Ab Orbe Reparato.
AN. S. Anno Salutis.
A. D. Anno Domini.

EXER-

EXERCITATIO XV.

DE EMBLEMATE.

INSTRUCTIO I.

Emblematis Nomen, Definitio, Divisio.

1.

DICO 1. Emblema [à verbo Græco ἐμβάλλω, quod sonat immitto, injicio, insero, aut interpono] dicuntur lapilli colorati, & minutim secti, gemmæ claviculi, & similia opera vermiculata, tessellata, segmentata, quæ parietibus, pavimentis, signis, clypeis, vasibus, vestibus, ornamenti ergò inseruntur.

2. DICO 2. Emblema, ut hîc sumitur, cujus originem ab Ægyptiis dimanasse tradit P. Donatus, est suavis expositio rei veræ, vel fictæ constans picturâ, & inscriptione, vim habens admonendi.

3. DICO 3. Aliqui dividunt Emblema in Physicum, Historicum seu Mythologicum, & Morale.

Physicum dicunt, quod rerum naturas, & caussas aperit:

Histo-

Historicum, seu Mythologicum, quod rem veram, vel fictam exponit:

Morale, seu Ethicum quod ad mores pertinet.

Alii dividunt per tria dicendi genera, quæ alibi explicuimus, in Judiciale, Deliberativum, Demonstrativum.

INSTRUCTIO II.

Emblematis Artificium, Virtutes, & Vitia.

4. DICO 1. Tres partes habet Emblema, Thema, Picturam, Inscriptionem.

5. DICO 2. Thema dicitur id, quod exprimere in animo est. Hæc pars semper inscripta menti, quæquè in Libris Tituli loco Emblemati superadditur, V. G. In Avarum, gratiam referendam, Concordia insuperabilis &c. in tabulis, & lapidibus prætermittitur.

6. DICO 3. Pictura, quæ est veluti muta quædam Inscriptio, seu id, quod ad mentis nostræ conceptum manifestandum depingimus, peti poterit à naturâ, ab arte, ab Historiis, à fabulis, à rebus omnino chimæricis, etiam non verisimilibus, dummodò quod jucundum, argutum, subtile sit, mentemquè aptè exprimat; præterea ab Veterum Symbolis, Hieroglyphicis, Apophtegmatis &c. nisi tamen turpia sint, vel infulsa, aut ad rem nostram explicandam inepta.

7. DICO 4. Inscriptio est quædam pictura loquens

loquens, quæ figuram declarat, indequè apertè, vel tacitè documentum eruit ad mores hominum informandos. Hæc, quò brevior, eò melior existimatur: itaque si disticho, vel monosticho fiat, mirum in modum placebit, ubi commodè poterit. Dixi, ubi commodè poterit cavendum enim, ne cûm brevitate subrepat obscuritas.

8. DICO 5. Ut venusta Inscriptio sit, contineat nonnunquam Dialogum ipsius figuræ cùm Lectore: fingat Poëtam cùm Viatore loquentem vel aliâ simili utatur Figurâ.

EXEMPLUM,

Ex Alciato.

9. QUi suis Emblematis, ingenio quidem, ac eruditione singulari, sibi omnium plausus promeruit. Sed utinam Carmina essent magis perpolita, & concinna!

Princeps subditorum incolumitatem procurans.

10. DEpingitur Delphin, Piscis hominum amator, qui tempestate sæviente, anchoram in imo fundo amplectitur ut fortior, firmiorquè illa subsistat, eoquè totius navigantes conserventur.

Inscri-

Inſcriptio, ſeu Epigramma.

Titani quoties conturbant æquora fratres,
Tunc miſeros nautas anchora jacta juvat.
Hanc pius ergà homines Delphin conplectitur, imis
Tutius ut poſſit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo!

INSTRUCTIO III.

De Emblemate Mixto.

11. DICO: Fit quandoquè quid mixtum ex Emblemate Populari [de quo hactenus locuti ſumus] & de Arguto, de quo infrà; cùm nimirùm Emblematis popularis picturæ non metrum, ſed paucis verbis adjungitur brevis Epigraphe.

EXEMPLA.

12. DEpingi poterit V. G. Ariſtippus aureis compedibus ſtrictus cùm lemmate;

Ditior, ſed Impeditior.

quod eruitur ex Diogenis Apophthegmate contrà eundem Ariſtippum, qui, ut ſplenditè viveret in Dionyſii aulâ, Philoſophicam libertatem amiſit.

Aliud.

Aliud.

QUidam olim depinxit Adamum, cui Eva fatale pomum manducandum præbebat, cùm lemmate:

Malus Mala Malum.

vel primò, ut aliqui volunt, quia Adam Malus, id est improbus, suâ Malâ, id est mandibulâ, Malum, id est pomum gustavit. Vel secundò, ut alii, quià Malus Adamus, Mala Eva, Malum dupliciter Pomum: vel tertiò, ut alii explicant, quia Malus, id est arbor, Malum, id est pomum, & fœmina Mala, malum nobis peperêre Malum.

Aliud.

13. QUidam pinxit duos Senes amentes, cum lemmate:

Noi siam tre.

Id est, nos Duo, & tu, qui aspicis, Tertius es amens.

Aliud.

15. ALius pinxit duos Doctores, unum Medicum, alterum Jurisperitum: suprà caput primi inscripsit:

Non occides:

suprà caput secundi:

Non furtum facies.

EXER-

EXERCITATIO XVI.

DE PHRENOSCHEMATE.

VULGO IMPRESA.

I.

MAGNI ingenii, animiquè viris vehementer placere solet hoc opus utpotè Heroicum, magniquè ingenii partus: ideo ejus Tractationem vobis, quos summo ingenio præditos vel agnosco, vel velim, æstivis hisce caloribus valde gratam, atquè opportunam arbitror.

2. Sciendum tamen, in primis circà Phrenoschemata quot capitum, totidem studiorum, atquè opinionum millia. Equidem illa seligam, quæ magìs consona rationi censuerim, quæquè apud magni nominis Recentiores invenerim.

IN-

INSTRUCTIO I.

Nomen, Divisio, Definitio,

3. DICO 1. Symbolum quoddam Heröicum, cujus finis est, cùm delectatione docere, quod Græco nomine Latini Phrenoschema dicunt; Recentiores Itali Impresam appellant, à verbo, Imprendere, quod eà Linguâ sonat, honestè aliquid aggredi, vel moliri. Ejus proprius locus est Scutum, Galea, Lorica, Vexillum, Trophæa, & similia.

4, DICO 2. Impresa, vel Impresia, ut alii loquuntur, dividi potest in Veterem, & Novam. Vetus erat imperfecta, rudis, & impolita, qua veteres utebantur, nullâ ferè Regularum severitate obligati. Hujusmodi fuit in Scuto Capanei, Vir tædam manu gerens expressus, cùm lemmate:

Et in Scuto Eteoclis Vir cùm scalâ, & epigraphe:

Nec Mars ipse repellet.

5. Nova Impresia est magìs elaborata, & concinna, severioribus, maximè Italorum, legibus perpolita, De hac impræsentiarum est præcipuus sermo.

6. DICO 3. Recentiorum Impresia dividi iterùm potest in Simplicem, Perfectam, Perfectissimâm.

7. Simplex definitur Argutia conceptum heroicum per Symbolicam Figuram exprímens. Hæc est Simplex Phrenoschematis natura, seu,

ut

ut Philosophicè loquar, essentia: itaquè gentilitia stemmata, trophæa, hieroglyphica omnia, & similia signa, quæ heroicum quid innuunt, quamvis sinè ullâ inscriptione, absolutè appellari possunt Impresiæ, seu Phrenoschemata.

8. DICO 4. Si perfectæ Impresiæ Definitionem velis, dic: Est præclarum aliquod, ac Singulare consilium apta, similiquè figurâ naturali, vel artefacta, & proprietate peregrina quidem, sed apparente; ingeniosè expressum, brevi, argutâquè additâ sententiâ.

9. DICO 5. Perfectissimæ Impresæ idea, & Definitio sic efformari posset ex Emman. Thesaur. Est argutia in Metaphorâ proportionis fundata, in modum argumenti Poëtici à simili, quæ unicum, atquè heroicum mentis consilium exprimat, per Figuram veram, nobilem, unicam, non fœdam, nec horridam, naturalem quidem, & aliquâ admiratione dignam; novam, at cognoscibilem; aptam, ut facile in scutis præsertim, repræsentetur: proprietate singulari, & in actu; additâ brevi, argutâquè Epigraphe ex Autore clasśico, Linguâ magìs universali hominibus literatis: quæ contrapositum, & equivocum habeat: undè ingeniosum, & proprium rebus, atquè personis opus assurgat.

10. DICO 6. Quod autem hæc omnia ad optimam, & perfectissimam Impresiam efformandam conspirent, probatur ex Definitione simplicis Impresiæ: nam Impresia est, Metaphora per Figuram quid heroicum exprimens: sed hæc omnia ad perfectissimam Metaphoram, heroiciquè consilii symbolicam expreśsionem faciunt

ut colligitur ex doctrinâ Aristotelicâ: igitur hæc omnia ad perfectissimam Impresiam requiruntur.

INSTRUCTIO II.

Impresiæ Artificium.

11. DICO 1. Impresia fiat veluti quoddam conflatum ex animâ, & corpore: jam corpus est figura, anima similitudo figuræ cùm re, quàm explicare contendimus. Sententiola est merus index, qui animæ, corporisquè concordiam denotat, ut index in horologio.

12. DICO 2 Perfectissimæ Impresiæ virtutes explicandæ, ut facilè dignoscatis, quænam sit perfectior, si cùm alterâ comparetur; & quomodo quævis, etiam ex illis, quæ communiter non sine plausu, laudequè excipiuntur, magis perfecta esse posset: ea enim rerum humanarum conditio est, ut nulla sit perfectissima. Igitur sit.

INSTRUCTIO III.

DE FIGURA.

Illius Virtutes, & Vitia.

13. DICO 1. Virtus Impresiæ est, si sit Metaphora proportionis fundata in argumento Poëtico, à simili, quæquè possit per quatuor terminos quadrari, & resolvi. Metaphora proportio-

portionis erit, si comparatio fiat actionum ex genere ad genus diversum; quæ est Metaphora omnium perfectissima, & maximè ingeniosa, utpotè inter terminos magìs remotos V. G. Depingatur Hystrix cûm lemmate:

Cominus, & Eminus.

quæ sic resolvi potest: ut Hystrix cominus, eminusquè pungit, ità optimus princeps cominus, & eminus armis, consilioquè triumphabit.

14. DICO 2. Quia infirma Protasis malè robustam parit Apodosim; rejiciuntur ex Impresiæ Figurâ omnia, quæ argumentationem infirmam, languidamq; progenerant; cujusmodi sunt, ex communi Sententiâ, monstra, imagines fabulosæ, & quidquid ex Apologorum fodinis eruitur; Parabolæ, Hieroglyphica, & similia, quæ ex mero hominum commento, non ex naturâ, vim habent: quamvìs his etiam utantur nonnulli, nec sine plausu.

15 DICO 3. Respuit etiam Impresia Perfectissima hominis Figuram: vel quà, & alii volunt, ejus factum rarum, liberum, & contingens, ideoquè minus efficax ad persuadendum: vel quià, ut aliis placet, non est novum, ac mirabile: vel quià, ut nonnulli autumant, inter hominem non intercedit Metaphora, sed identitas naturæ, ut Philosophi inquiunt.

16. DICO 4. Aliquam humani corporis partem ex illis, quæ solæ spectari sinè horrore possunt, ornamenti ergò facilè admittunt nonnulli, ut manum tenentem flores, vel gladium; sicut etiam hominis Figuram in speculo, vel

pictam in tabellâ, vel ejus umbram ad Solis radios &c.

17. DICO 5. Naturæ opera, utpotè perfectiora, magis firma, & constantia præferri solent operibus artefactis; quamvis hæc etiam à bonis Autoribus admittantur.

18. DICO 6. Quæ finguntur, non sint plura, nisi fortasse unum quid faciant, unique Sententiæ omninò serviant, ut Stellæ, Luna &c. quæ nocturnum cœlum exornent. Et hæc placent præsertim in Academiarum, & Sodalitiorum Impresiis. Tria nonnemo approbat in Figurâ: eidem duo aptiora videntur, quàm unum mihi, si unum dumtaxat exprimatur, vehementer placet.

19. DICO 7. Melior existimatur Figura, quę facilè repræsentari possit vel picturâ, vel sculpturâ: undè corpora illa, quæ, ut exprimantur, coloribus indigent, sunt minus laude digna, quàm, quæ etiam sinè coloribus insculpta, incisaquè Impresiæ serviunt.

20. DICO 8. Si Figura ad gentilitium stemma, vel nomen, vel singulare facinus alludat, vel ad Herois horoscopum, vel ad aliam antecedentem Impresiam sibi, vel æmulis erectam, maximè commendabitur.

21. DICO 9. Mentis consilium, quod per talem Figuram significatur, unum, & singulare sit, atquè Heroicum, quodquè alteri facilè applicari non patiatur.

22. DICO 10. Figura sit nobilis, & pulchra; non autem humilis, turpis, aut fœda; naturalis, sed admirabilis; nova, sed cognoscibilis;

pro-

proprietâte quidem apparente, individua, ac singulari, & quæ non in potentiâ, ut ajunt, sed jàm in actum exiens ostendatur.

23. DICO 11. In omnibus servandum semper rei, personæquè decórum: undè si ad heroicarum imitationem fiant Impresiæ ridiculæ, facetæ (ut solet in Bacchanalibus) poterunt res ridiculæ, & viles, verbaquè jocularia malè formata, & faceta inscribi. Verùm hosce in ludos plurimo sale, modestiâquè opus est.

INSTRUCTIO IV.

DE LEMMATE.

Illius Virtutes, & Vitia.

24 DICO 1. Impresiæ Sententia, quæ Lemma, Epigraphe, Inscriptio, ac Symboli index dicitur, & quasi ejusdem interpretatio, non nominet ea quæ expressa videntur in Figurâ.

25. DICO 2. Si Inscriptio sinè Figurâ aliquid certè significet, superflua erit Figurâ: sicuti si Figura sinè Inscriptione sensum habeat integrum, & absolutum, redundabit Inscriptio.

26. DICO 3. Non sit adeò obscura, ut sit ænigma, hominibus etiam literatis: nec ità clara, ut etiam plebi facili negotio innotescat; nequè Proverbium.

27. DICO 4. Si nequè Interrogationem, nequè Epiphonema contineat, erit perfectior.

28. DICO 5. Prima, tertiàquè persona plerunquè usurpanda, nisi fortasse ipsa Figura cùm aliquo secundâ personâ loquens exprimatur: tempora verò, & modi ferè omnes:

29. DICO 6. Mirum in modum Epigraphen exornabit æquivocum, Antithesis, traductio, annominatio, isocolon, similiter desinens, reticentia &c.

30. DICO 7. Si ad Autoris nomen, cognomen, gentilitium stemma, res gestas, dignitatem, vel aliud singulare alludat, jucundissima erit Epigraphe.

31. DICO 8. Si ejus verba ab Autore classico desumantur, majorem ingenii, modestiæquè laudem merebitur Impresiæ Autor.

31. DICO 9. Non nemo Latinam omnium perfectissimam putat, utpotè nobilem, argutam concisam, peregrinam, Virisquè literatis magis communem.

33. DICO 10. Undecunquè desumatur, vel etiamsi sit propria, simplicem prosam, vel rectam Carminis partem amplectitur.

34. DICO 11. Acuta, ingeniosa, brevis sit oportet. Aliqui hemistichio, aut simili illam quantitate definiunt, nec hetruscum hendecasyllabum excedendum præscribunt. Aliqui eam laudant suprà ceteras, quæ unico verbo; alii, quæ tribus verbis perficitur, quam magis perfectam, magisquè harmonicam esse arbitrantur.

35, DICO 12. Demonstrandi, inferendi, comparandiquè voces à perfectissimâ Impresiâ passim rejiciuntur.

I N-

INSTRUCTIO V.

Quid intersit inter Impresiam, & Emblema.

36. DICO; Differunt primò, quia Emblema est populare, & ad mores hominum spectat in universum: Impresia est dumtaxat heroica.

37. Secundò quià Emblematis proprius locus sunt telæ, tabulæ, parietes, arcus, operaquè Phrygio opere, parioquè marmore elaborata: Impresiæ verò proprius locus est scutum, galea, lorica, vexillum, & similia.

38. Tertiò, quia Emblema magis clarè, & distinctè picturam explicat: Impresia verò brevè, acutumquè præfert Lemma.

39. Quartò, quià Emblematis explicatio, si nostra sit, melior reputatur: Impresiæ verò, si aliena sit, magis laudari solet.

40. Quinto, quia Emblema pluralitatem, & quamlibet Figuram liberè admittit: Impresia verò eo perfectior erit, quo Figura magis vera, naturalis, & unica.

INSTRUCTIO VI.

EXEMPLA.

41. EXempla afferam nonnulla, non quod illa sint perfectissima, sed quod ferè ab omnibus plausum obtinuerint; quamvis ex illis a-

sese pacis arte conspicuum.

NN. Dux Carolo Quinto serviens, ut suaviter quereretur, quod alii Duces ejus labores in Mediolano recuperando sibi arrogasent, expressit Apes circùm alvearia, cùm lemmate Virgiliano:

Sic vos non vobis.

subintelligens, Mellificatis apes.

Emmanuelis Philiberti Impresia præseferabat Elephantem cùm lemmate:

Infestus infestis.

ut denotaret Heroem hunc nemini, nisi offensori infensum, infestumquè.

NN. ut Julio Secundo Pontifici Maximo blandiretur, Quercum depinxit, patrium ejusdem Pontificis stemma, cùm Epigraphe ad aurei Seculi Quercum alludente:

Umbram, atquè Salutem.

sed fuit plurimum scommate laceratus, utpotè Sus glandium heluo.

Eques quidam Senensis cognomento, Fermafede, ut amorem ergà Luchettam, nescio quam, ostenderet, Pesulum depinxit [Italicè Luchetto] cùm Literis ejusdem Luchettæ nomen exprimentibus, & lemmate:

Uni patet.

Superiorem imitatus quidam Recentior, ad exprimendam Deiparæ integritatem, cujus illibatus venter soli Verbo patuit, depinxit eandem Serulam innexam orbibus volubilibus, ac literatis cùm lemmate:

Uni patet Verbo.

Senenses Academici, vulgò Intronati, voluerunt

runt prò Impresiâ Cucurbitam, qua rustici salem condunt, cùm Epigraphe:

Meliora latent.

ut significarent, se sub rudi Philosophico cortice Sapientiæ salem abscondere.

Quidam, ut Gelardæ nescio cui blandiretur, depinxit Ætnam, cùm lemmate ad ipsius Gelardæ nomen alludente:

Gelat, & Ardet.

Comes N. cujus stemma Aquila, cùm sese Ducis N. filiæ matrimonio junxisset, cujus insigne gentilitium Quercus, Aquilam expressit quiescentem in Quercu, cùm Epigraphe:

Requies tutissima.

Contrariâ fortunâ non opprimi personas illustres denotat Phœnix, cùm Inscriptione:

Perit, ut Vivat.

Idem indicat Pilæ lusoriæ globus, cùm sententiolâ.

Percussus elevor.

Idem Palma ponderibus inclinata, cùm Epigraphe:

Inclinata resurgo.

Divus Petrus è maris undis ad Apostolatum vocatus, & tandem fortissimus Christi Martyr, significatur à quodam per Corallii ramum, quà extrà aquas purpurâ induit, fitquè petra durissima, cùm lemmate:

Indurabitur.

Olim Columnenses Marinos Juncos erexêre, cùm Sententiolâ:

Flectimur, non Frangimur.

Contrà prædictos NN. Columnam fixe re cùm Sententiâ: *Fran-*

Frangimur, non Flectimur.

Dux N in bello contrà Ducem Nodosum Baculum prò Impresiâ habuit, additis verbis è ludo desumptis:

Io l' invito.

Prædicto Phrenoschemati ille allo respondit, erigens Clavam (hujus Figura in Alearum ludo depicta cernitur) cùm illis verbis:

Io lo tengo.

Quidam, ut Nazareum Campi Florem indicaret, *qui natus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel,* Rosam depinxit, unde mel Apes colligerent; propè Scarabæum ejus fragrantiâ exanimatum, cùm Inscriptione:

Uni Salus, alteri Pernicies.

Quidam in Cardinalis Veralli laudem, ad ejus nomen, ac gentilitium stemma alludens, Rosam expressit in pratulo jugi rivulo irrigatam, cùm Sententiâ.

Ver - Alo.

Quidam Princeps, ut ostenderet, se subditos suos præmio, suppliciove afficere posse, Bombicem, id est sericum Vermiculum, è folliculo emergentem, depinxit, cùm lemmate;

Feci, & Fregi.

Ad exprimendum, Jejunia spiritum implere divino numine, quidam posuit Organum musicum, additâ Sententiolâ.

Per inania Spiritus.

Ad significandum, Divum Ignatium Loyolam Petri Fabri socii ope Orthodoxæ fidei spiritum Orbi incussisse, quidam depinxit Vitrea vascula, cum lemmate:

Non sine Fabri Spiritu.

Ad denotandum, bonum Principem, etiam inexoratum, beneficia impertire, Solem Orientem delineavit nonnemo, cùm illis verbis:

Non exoratus exorior.

Quidam, ut ostenderet, Virginem Verbum concepisse *qnia Deus respexit humilitatem Ancillæ suæ* (ut habetur in ejus Cantico) pinxit Solem, dum in nube suam imaginem exprimit, cùm Sententiâ:

Quia respexit.

N N Cosmæ Medicei æmulus Bombardam depinxit, quæ Pilam exploderet; sinè ullá Inscriptione, ut significaret, Mediceam Familiam, cujus stemma sunt Pilæ, ferro, & igne extrudendam, sed fuit in omine pondus nullum.

EXER-

EXERCITATIO XVII.

DE

ÆNIGMATE.

I.

JUCUNDISSIMUS erat Ænigmatis usus apud Veteres : hoc etenim in conviviis utebantur, non sinè illius præmio, qui Ænigma solvisset: ubi, qui oblatum non dissolveret, haurire salsuginis poculum cogebatur, & unico haustu potum sorbere, si credimus Athenæo. Ænigmatis Tractationem vobis in hoc nostrorum laborum Fine, plusquàm in epulis jucundam fore confido.

INSTRUCTIO I.

Nomen, Definitio, Divisio.

2. DICO I. Ænigma, quod alii Allegoriam obscuram dicunt, dicitur à verbo Greco αἰνίττομαι, id est obscurè loquor, vel latenter in-

innuo: & definitur: Eſt oratio obſcura, tegens rem notam, quam ambagibus ſignificat.

3. DICO 2. Dividunt aliqui Ænigma ab Gripho: Ænigma enim dicunt eſse ridiculum, & jocoſum: Griphum verò, qui gravem eruditionem continet. Verùm Athenæus Griphum quoquè jocoſum agnoſcit. Jam Griphus dicebatur à piſcatorum labyrinthis; rete enim, vel ſagena Griphus appellatur.

4. DICO 3. Dividitur præterea Ænigma, primò in illud, quod ludit circà rem: ſecundò in illud, quod jocatur circà nomen, vel literas: tertiò illud, quod continet notas quaſdam, vel Figuras clandeſtinas: quartò in miſtum, quod ſcilicet ex multis conflatur.

INSTRUCTIO II.

Ænigmatis Artificium.

5. DICO 1. Ænigma fieri poteſt, primò circà rem, vel ſcilicet per Similitudines, & Allegorias, id eſt continuatas Metaphoras, rei originem, naturam, proprietates, effecta involvendo:

Vel rei ipſius Figuram, & corpus deſcribendo:

Vel plura ſecum oppoſita, & quæ videntur omninò impoſſibilia, coacervando:

Vel ad abſtruſas Fabulas, atquè Hiſtorias, Geographiam, Proverbia, & ſimilia alludendo.

6. DICO 2. Fieri poteſt ſecundò Ænigma, ſi circà rei nomen, & literas ludamus: ſi nimirum nominis literas metaphoricè vocemus, ut ſi

ut si I, dicamus columnam, S, serpentem, C, falcem &c.

Vel si E. G. Siciliam, appellemus Delta, quòd nimirùm suâ Figurâ Græcorum Δ imitetur. Sic etiam si Bovis Corium prò Hispania, Quernam frondem pro Italiâ, Leonem pro Belgio nominemus ob eandem caussam.

Vel, cùm pro re ipsâ, primum ipsius nominis vocem ponimus, ut, I, pro Juppiter; P, pro Pallas &c.

Vel, cùm nomen parùm immutamus, Literas transportando, interpolando, addendo, detrahendo &c.

Vel, cùm verba æquivoca ponimus, illìquè non uxtà vulgatum sensum usurpamus: vel cùm eâdem voce æpuivocâ pluries utimur, sed in diversa Significatione:

Vel cùm Carminum primæ, ultimævè Literæ, vel utræque Ænigmatis explicationem proponunt:

Vel, primam alicujus vocis literam dicamus caput, frontem, cornua, anteriora, proram &c. Medias ventrem, interiora, navis arborem &c. Ultimas, caudam, pedes, puppim appellemus: quas quidem literas innuere poterimus in Ænigmate commutandas, transferendas, auferendas, addendas, multiplicandas, retrolegendas &c.

7. DICO 3. Huc revocantur clandestinæ, ac singulares quædam scribendi latebræ, & compendiariæ notæ, vel Figuræ, quibus aliqui mentis consilium explanare solent.

8. DICO 4. Mistum Ænigma jocatur tùm circà ipsius caussas, naturam, proprietates, effecta,

fecta, & unam Ænigmatis speciem cùm alia immiscet.

Hæc omnia exemplis constabunt melius.

INSTRUCTIO III.

Stylus, Virtutes, & Vitia.

9. DICO 1. Ænigma, quamvìs propriè opus, figmentumque poëticum sit, potest nihilominus quandoquè solutâ Oratione proferri.

10. DICO 2. Adornari potest Ænigma, ut Epigramma, variis Figuris, dubitatione præsertim, seu percontatione, ethopœia, admiratione &c.

11. DICO 3. Ingeniolum erit, si tale sit, ut in eo veluti quodam labyrintho, videat quandoquè exitum Lector, sed deinde sese magìs implicatum sentiat; quòd licet unum videatur exprimi, quid tamen longè diversum significetur.

12. DICO 4. Cavendum, nè ità construatur Ænigma, ut ejus explicatio pluribus rebus possit esse communis; id eoque hæc, saltem circumstantiarum ratione, esse debebit unius rei propria.

INSTRUCTIO IV.

Exempla.

13. EXemplorum fascem subnecto, promiscuè tamen, & sinè ordine ut gratiora ad aures vestras perveniant, & varietate magìs delectent.

ctent. En primum Exemplum omnibus gratum, atquè optatissimum.

Aurum.

Cornigera taurum mitto tibi fronte carentem,
Quale solet munus mittere dives Arabs:
Si dematur frons, id est, t, ab hac voce, Taurum, Aurum significat, quo abundat Arabia.

Caupo.

Venales propone cibos: si litera desit,
Venalis fiet venditor ipse cibus.
Caupo, si tollas, u, evadit Capo.

Murmur.

Res eadem cùm ventre caput [mirabile visu]
Cùm pede res eadem sunt, & utroque manus.
In hac voce, Murmur, M, M, exprimit caput, & ventrem Syllaba, Ur, & inmedio, & in fine sunt manus, & pedes.

Virtus.

sustuleris si te nostro de nomine, rerum
Quæ fueram, rerum tibi pessima dicar.
Nam Virtus, quæ optima est, si ipsi dematur, T, evadit, Virus, quod pessimum.

Adamas.

Me vis nulla domat, non nudus membra Pyracmon,
Ignea nec cudens Mulciber Arma Jovi.
Res tamen imbellis, pedibusquè fugacibus essem,
Si sinè principio, si sinè fine forem.
Est Adamas, cui si demas primam, & ultimam literam, evadet, Dama, animal timidum, & fugax.

Paries.

Quis me infelicem penitus neget esse? refectâ

Cervi-

Cervicen pario funeris ausa mei.

Paries, dempto, P, fit aries bellicum instrumentum ad muros concutiendos.

Horologium.

Non movetur, & semper currit: Astrologiam non didicit, & semper metitur, mentitur, & non loquitur.

Speculum.

Sò una mia cosa, la qual non è viva,
E par, che viva, se le vai dinanti.
E se tu scrivi, parerà, che scriva:
E se tu canti, parerà, che canti.
E se t' affacci seco in prospettiva,
Ti dirà i tuoi difetti tutti quanti.
E se sdegnoso gli omeri le volti,
Sparisce anche ella, e torna, se ti volti.

Talaris Ludus.

Vidi carnem humanam, *id est manum*, ossibus, *id est talis*, ludentem in campo ligneo, *id est in tabula lusoria.*

Homo.

Est animal primùm quadrupes: dein bipes, tandem tripes: & quandoquè iterùm quadrupes.

Nam pueri ambulant manibus, pedibusquè, quadrupedum ritu: deindè firmâ ætate duobus ambulant pedibus: demùm senes, aut debiles baculum adhibent, ideoquè tribus uti videntur, pedibus, & quandoquè duplici baculo suffulti quatuor videntur pedibus incedere.

Annus.

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex:
His quoquè triginta natæ sub dispare formâ:
Aspectu hinc niveæ: nigræ sunt vultibus illinc:

Sunt

Sunt immortales omnes, moriuntur, & omnes.

Pater eſt Annus; duodecim filii, menſes; triginta natæ, dies menſium; albæ horæ diei; nigræ, horæ noctis.

Idem Annus.

Padre ſon io di dodici figliuoli,
I quali ad un ad un vado uccidendo,
Mentre l' un dopo l' altro và naſcendo.
Il Ciel vuol poi, che l' ultimo m' involi:
Ma non ſi toſto ſon di vita privo,
Che ſon rinato, e nova vita i' vivo.

Laterna.

Eſt ardens Amazon, ferreâ galeâ, oſſeo pectore, nigra foris, intùs clara: tenebras in vultu gerit, in ſinu flammas: vagatur noctu, diu quieſcit.

Mendicus.

Sum ego unâ literâ plus quàm Mendicus.

Enſis.

Quo mihi vincendos toties mihi ſcripſeris hoſtes,
Unum mitto tibi, reſeces modo millia, Menſem.

Nam, menſis, ſi tollatur M, quod eſt Mille Romanorum, evadit Enſis.

Echo.

Virgo modeſta nimîs, legem benè ſervo pudoris:
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria linguæ:
Ultro nolo loqui, ſed do reſponſa petenti:

Farina.

Inter ſaxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi, totis colliſa medullis:

Et

Et nunc forma mihi minor eſt, copia major.

Fumus.

Sunt mihi ſunt Lacrymæ, ſed non eſt cauſa doloris.
Eſt iter ad cælum, ſed me gravis impedit aër.
Et qui me genuit, ſinè me non naſcitur ipſe.

JESUS.

Dicito, quale putas nomen, quod recta columna
Inchoat, inde tridens fuſcina nectit idem;
Flexus utrinquè unicus ſecat, hinc bivii nota claudit,
Inde uncus, medio qui ſtetit antè loco.

In Vetulam nomine Sagam.

Menſa tibi nulla eſt, ſinè caudâ tu quoquè ſagax,
Atquè ferax, pariter, ſed ſinè fronte manus.
Id eſt: Mens tibi nulla eſt, ſaga, fera, Anus.

Amo te.

Muſa tibi proram, Mars puppim, Troja carinam,
Donat terra caput, dat tibi & exta leo.

Enigmata per Figuras Alluſivas, & Clandeſtinas.

14. ET quoniam Ænigmatis vim habere diximus quaſdam compendiarias notas, vel Figuras Alluſivas, & Clandeſtinas, horum exempla nonnulla immiſcere abs re non erit.

EXEM-

EXEMPLA.

QUidam, ut exprimeret actum esse de construendo Rege Romanorum, depinxit primò Musicas illas notas, FA, RE, deinde subjunxit illas, FA, MI, RE, & tandem illas addidit, MI SOL, RE.

Nempe primus dicebat, Fac Regem: secundus petebat, ut ipse fieret Rex: tandem respondebat Cæsar, Ego Solus Rex,

Sic alius Phœnicis Naturam expressit, additis Phænici pro Lemmate Musicis notis:

SOL, MI, RE, FA.

id est, Sol me reficit.

Alius, ut desiderium suum patefaceret ducendæ in Uxorem Puellæ cognomento, CAPRA, Capellam depinxit clitellatam, plures Claves ore gerentem (Clitellæ Italicè Basta dicuntur) cùm Epigraphe:

Una Ch' apra mi basta.

quod Latinè sonare videbatur, quid longè aliud, sed non abs re, scilicet, Una Clavis, quę aperiat, mihi sat est.

Idem detegere voluit quidam erga aliam, cui nomen, *Victoria Battaglia*, quod cognomen Italicè Prælium, Certamen est, sese in ludo equestri ferro totum obarmans, cùm lemmate in Clypeo:

Se avrò *Battaglia*, avrò *Vittoria*.

Quidam, ut Barbaram nescio quam significaret, depinxit Barbam in galeâ, barbæquè raræ dimidium: sic Barba, & Ra, quod est dimidium

dium hujus vocis, Rara, hoc nomen, Barbara, componebat.

Vir quidam illustris, cùm preclaram fœminam uxorem vellet nomine Annam, quam tamen nobilis parens alteri Principi promiserat; depinxit in galero, Avem, quam Hispani vocant, Anadino: & significare voluit, Anna, dì no.

Quidam, ut significaret se fuisse semper fidelem, instar domestici Canis, ergâ Reginam suam Blancam, depinxit in Flabello Cereum album (nos Italicè dicimus, Candela bianca] quo denotaret,

Can-de-la Bianca.

Quidam, ut sese excusaret, quod à suo Principe defecisset, qui illum perfidum expertus esset, nempè,

Per la fede rotta;

Unionem depinxit [Italicè Perla] & Annulum pronubum (Italicè Fede) fractum, sic exprimere volens, Per la fede rotta.

Superiorem imitatus alter Recentior animi dolorem ob discessum nescio cujus indicavit Bacca partità, Mauroquè insculpto cùm lemmate:

Per la partita moro.

Id est, Ob discessum morior Bacca. Hetruscis, PERLA, quod divisum PER LA Præpositionem, & articulum fœminini generis sonat: Discessus, PARTITA seu PARTENZA, Maurus MORO redditur.

In cujusdam Principis Curiâ omnia Aulicæ mulieris patrocinio obtineri mos erat. Id quidam expertus, indè Mulieris illius Imaginem erexit,

erexit, ad cujus pedes semet è Pileo ingentem aureorum vim profundentem addidit: & propè votivam tabellam, ut solet, cùm Inscriptione:

V. F. E. G. A.

Votum fecit, & gratiam accepit.

id est, Pileum vacuum [Italicè VOTO) fecit, & ità quod erat in votis, à Principe impetravit.

N. N. denotavit negotium sibi male successisse, depingens Malvam herbam; sic dicere volens, Mal và.

Sabini contrà Romanos vexillo has Literas inscripsere: S. P. Q. R. id est: Sabino Populo Quis Resistet?

Sabinis Romani iisdem prorsus Literis responderunt S. P. Q. R. id est Senatus, Populusquè Romanus.

N. N. significavit, omnia facienda cum tempore, pingens Falconem, & illam sonantis Horologii partem, quam Itali appellant, Tempo; id est Falcon tempo

N N. cuidam rustico nobilitatem affectanti, & gentilitium stemma ab eo poscenti, hoc dedit: Pinge, ait, frumenti grana cùm Vite: tùm adde Pyrum: quod Italicè ferè sonat.

Gran vitupero.

Nobilis eques, cùm uxorem peteret honestam quandam matronam, cui nomen Margarita, insculptam in galero baccam gemmam habuit, post gemmam literam, T, deinde Sole-

am ex

am ex Corio: sic Italicè significans: Margarita, Te sola di cor amo.

N. Pingens in impresiâ numeros Viginti septem Romanos, expressit suos hostes jam victos: XXVII. quod ferè sonat: Vintisete, id est, Victi estis

Nobilis Italus, qui vano, insanoquè amore puellam magno impendio deperierat tandem scintillâ cęlestis flammæ in pectus delapsâ, illico mutatus in virum alterum, pro gentilitiâ tesserâ sibi depingi curavit PENTECOSTES Mysterium, ubi cœtus Apostolorum, linguis igneis super singulorum vertices scintillantibus, expressus cernebatur, hoc Hispano lemmate subjecto:

Del amore mio Pento, y Costa,

Alius tres quartas Alphabeti Literas Orbi uniso exitium peperisse ajebat.

D. D. D.

id est, Dæmonem, Denarium, Dominam.

Ænigmatis vim habent voces quædam, quæ legi minimè possit, nisi illarum aliqua, instar Clavis, opportunè adhibita sensum aperiat, ut:

Super
O cur tua te
be bis? bia abit.

quod ita legendum: O superbe, cur superbis? Tua Superbia te superabit.

Sub
limis latus es; ito jiciet:
o qui nulli mors. te.

quod ità legendum: O sublimis, qui sublatus, nulli subes; mors subitò te subjiciet.

Austriacus Imperator olim quinquè Vocales scrip-

ſcripſit pro Phrenoſchemate ænigmatico, AEIOU cujus rei varias Explicationem accepimus.

Primò, Auſtria Extenditur in Orbem Univerſum.

Secundò, Aquila Electa Juſtè Omnia Vincit.

Tertiò, Aquilę Eſt Imperium Orbis Univerſi.

Quartò, Aquila Excellit Inter Omnes Volucres.

Ferdinandus Primus octonas has literas expoſuit

A. I. P. Q. N. S. I. A.

hoc eſt.

Accidit In Puncto, Quod Non Superatur In Anno

Atquè hæc ad Annuam Militis Rethorici, & Poëtici inſtitutionem dictaſſe ſit ſatis: A. M. D. G. Utinam & ad veſtram utilitatem!

Propriis ab exemplis paſſim abſtinui: & quod aliena, in quibus variis Styli diverſitatem guſtaretis, longè profectò majoris autoritatis exiſtimatim: quodquè mens ſit, è noſtris, quæ quotidiè excepiſtis, compactam, coordinatamquè Militis Rhetorici, & Poëtici Praxim typis committere, ſi vires ſuppetent, niquè me, ſtudiaquè mea Obedientiæ nutus aliò revocarit.

L A U S D E O,

EJUS MATRI INTEGERRIMÆ,

A C D I V Æ A G N E T I. V. M.

N O S T R I G Y M N A S I I

PATRONÆ.

INDEX.

De

Quæ-

De

Arti-

LAUS DEO.